MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80274-2

AUTHOR:

KEUSEN, FRIEDRICH

TITLE:

DE HISTORIONUM NUMERO FABULAE...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1920

Master Negative #

91-80274-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Keusen, Friedrich, 1892-
De histrionum numero fabulae Menandreae, pars 1. Dissertatio inavgvralis qvam... scripsit Fridericus Keusen... Bonnae, typis C, Georgi, 1920.
61 p. 22 cm.

Thesis, Bonn, 1920.
"Altera pars, quae est de Terentii exemplaribus Menandreis, in lucem prodibit in Museo Rhenano."

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.27.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)






150mm

6″





PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

DE HISTRIONUM NUMERO FABULAE MENANDREAE

PARS I

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS KEUSEN

DUISBURGENSIS

PROMOTVS DIE XXVI MENSIS MARTII ANNI MCMXX

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

MCMXX

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit Fridericus Marx.

Altera pars, quae est de Terentii exemplaribus Menandreis, in lucem prodibit in Museo Rhenano.

FRIDERICO MARX

Caput I.

Quae antiquitatis de histrionum Graecae comoediae numero exstent testimonia.

Graecorum poetas tragicos ex Aeschyli aetate duos, tres actores e Sophoclis adhibuisse temporibus et a gravissimis testibus proditum est [1]) et ex ipsa fabularum compositione atque structura luculenter apparet [2]). Verum tamen comoediae usus qualis fuerit, non satis constat. Sane etiam Cratinus tres histriones ascivisse dicitur apud anonymum scriptorem περὶ κωμῳδίας [3]), neque vero ille, ut in tragoedia usu venit, numerum ampliasse fertur, sed cum antea poetae comici, nullis coerciti vinculis, personas quousque libuit introduxissent, inter certos fines constituisse. Cui memoriae num fidem habere liceat, scrupuli iniciuntur haud tenues, quandoquidem ipse Aristoteles [4]) in occulto esse tradit, quibusnam e primordiis procreata viaque quanam comoediae ars progressa sit. In Cratini Ὀδυσσέων fabula praeter Cyclopum et Ulixis comitum choros duas tantum personas, Polyphemum dico atque Ulixem prodisse in conspectum Georgius Kaibel [5]) probabiliter explanavit. Contra dearum

1) Aristot. poet. IV 1449 a 15 sqq.; Diog. Laert. (ed. Cobet) III 34 (56); vit. Soph. p. 127, 26 West.; Suid. s. v. Σοφοκλῆς.

2) Cf. F. C. Listmann: Die Technik des Dreigesprächs in der griech. Tragödie. Diss. Giss., Darmstad. 1910 et H. Kaffenberger: Das Dreischauspielergesetz in der griech. Tragödie. Diss. Giss. Darmstad. 1911.

3) Cf. Kaibel: C. G. F. p. 18 = Leeuwen: Prol. Arist. p. 182: καὶ γὰρ οἱ ἐν τῇ Ἀττικῇ πρῶτον συστησάμενοι τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμῳδίας — ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σουσαρίωνα — τὰ πρόσωπα ἀτάκτως εἰσῆγον, καὶ γέλως ἦν μόνως τὸ κατασκευαζόμενον. ἐπιγενόμενος δὲ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, στήσας τὴν ἀταξίαν.

4) Aristot. poet. V 1449 a 35 sqq.: αἱ μὲν οὖν τῆς τραγῳδίας μεταβάσεις καὶ δι' ὧν ἐγένοντο, οὐ λελήθασιν, ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν· . . . . τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν ἢ προλόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἠγνόηται.

5) G. Kaibel: Kratinos' ΟΔΥΣΣΗΣ und Euripides' ΚΥΚΛΩΨ. Herm. 30, 1895 p. 74 sqq.

certamini, quod exhibet Διονυσαλέξανδρος comoedia, et Paridem et deas ipsas Iunonem Minervam Venerem interfuisse, id est quattuor simul personas in scaena egisse Alfredus Koerte[1]) haud iniuria confecit ex argumenti, quod tulit diem, verbis hisce: (Oxyrhynchus Papyri Nr. 663, t. IV p. 71 col. I v. 12 sqq.)

ὁ ⟨'Αλέξανδρος⟩ δ(ὲ) πα-
ραγενομένων[2]) αὐτῶι
παρὰ μὲν [Ἥρας] τυραννίδο(ς)
ἀκινήτου πα[ρ]ὰ δ' 'Αθηνᾶς
εὐτυχί(ας) κ(α)τ(ὰ) πόλεμο(ν) τῆς
δ' 'Αφροδί(της) κάλλιστό(ν) τε κ(αὶ)
ἐπέραστον αὐτὸν ὑπάρ-
χειν κρίνει ταύτην νικᾶν.

Exstant igitur hic indicia eaque non levia, unde Cratino certe non numquam plus tres histriones ad fabulam docendam praesto fuisse pateat. Iam quod ad Aristophanis attinet poesin, Carolus Beer[3]), cui cum alii tum Theodorus Bergk[4]) et Albertus Mueller[5]) assensi sunt, subsidiis ex omnibus rebus petitis omnium fabularum partes inter ternos dispertire actores nequiquam conatus est. Enimvero opiniones eius, quae argumentis fulciuntur prorsus incertis, optimo iure Koerte refellit, cum contradicit haec (l. s. s. p. 489): Es ist den sorglichen Bemühungen Beers, dem man in der Regel folgt, doch nicht gelungen, die vielen Rollen der Aristophanischen Komödien auf 3 Schauspieler zu verteilen, nur in drei Komödien (Ritter, Ekklesiazusen und Plutos) kommt er ohne Parachoregemata aus, und wenn in den Acharnern z. B. der dritte Schauspieler 11 verschiedene Rollen erhält und gleichwohl 4—5 Personen noch un-

1) A. Koerte: Die Hypothesis zu Kratinos' Dionysalexandros. Herm. 39, 1904 p. 481 sqq. Affert ibidem (p. 489) haec: Dass die Göttinnen alle drei selbst aufgetreten sind und ihre Versprechungen gemacht haben, ist nach der Ausdrucksweise des Grammatikers, der zwischen Darstellung und Bericht zu scheiden weiss, gewiss nicht zu bezweifeln. Wir haben zu dieser Scene mit ihrer Verbindung des Helden und einer in sich zusammengehörigen Dreiheit ein Gegenstück in der Göttergesandtschaft der Vögel.

2) Koerte (l. s. s. p. 482) scribit πα|ραγγελλομένων.

3) C. Beer: Über die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes. Leipzig 1844.

4) Th. Bergk: Hist. litt. Graec. III (Berol. 1884) p. 85.

5) A. Müller: Lehrbuch der griech. Bühnenaltertümer. Freiburg 1886 p. 174.

versorgt bleiben, so geht das ganze Prinzip doch arg in die Brüche. Etiam Kelley-Rees[1]) nuper demonstravit tres histriones ad nonnullas tantum Aristophanis fabulas agendas satis fuisse, ceteras autem pro rerum nexu nisi a pluribus non potuisse dari[2]). Sed haec quaestio haud indigna est, quae diligentius denuo pertractetur, praesertim cum inde argumenta certa et quae ad antiquiorem, Cratini dico, et quae ad recentiorem comoediae aetatem faciant possint erui.

Sub quarti a. C. n. saeculi finem Graecorum rerum scaenicarum summa facta est commutatio, ex quo quicumque ludis scaenicis operam dabant, non modo fabularum actores, sed etiam musici et poetae in proprias quasdam se congregavere societates, quae a Graecis appellabantur σύνοδοι τῶν περὶ Διόνυσον τεχνιτῶν, a Romanis „collegia scaenicorum artificum" vocabantur[3]). Itaque de νέας κωμῳδίας histrionum numero difficilius etiam videtur esse diiudicare. Sane Theodorus Bergk[4]) quique ei astipulatus est Albertus Mueller[5]) in novam quoque

1) Kelley-Rees: The so-called rule of three actors in the classical Greek drama. Diss. Chicago 1908 p. 42 sqq.

2) Christ-Schmid in hist. litt. Graec. I^6, 1912 p. 405 sq. haec explicat: In ihrem Aufbau und der Verwendung der Kunstmittel behält auch die Kunstkomödie des 5. Jahrhunderts, verglichen mit der Tragödie, von ihren volkstümlichen Ursprüngen her etwas äusserst Luxuriantes und lässt sich nicht auf eine feste Form bringen. ... Die Zahl der Rollen und der Schauspieler, die offenbar für die Komödie weit billiger als für die Tragödie zu haben waren, ist, soweit wir sehen, viel grösser als in der Tragödie.

3) De quorum collegiorum natura moribus institutis accuratius quaesiverunt cum alii tum P. Foucart: De collegiis scaenicorum artificum apud Graecos. Paris. Lutet. 1873; O. Lüders: Die dionysischen Künstler. Berlin 1873; H. Sauppe: Commentatio de collegio artificum scaenicorum Atticorum. Gotting. 1876; E. Reisch: De musicis Graecorum certaminibus. Vindob. 1885; A. Müller l. s. s. p. 392 sqq.; Fr. Poland: De collegiis artificum Dionysiacorum. Dresd. 1895, idem: Geschichte des griech. Vereinswesens. Leipzig 1909 p. 129 sqq.

4) Exponit haec (hist. litt. Graec. III p. 85 sq.): Die neuere Komödie zieht sich zwar in einen eng umschriebenen Kreis zurück, allein da sie vorzugsweise verwickeltere Handlungen liebt, könnte man vermuten, es sei eine Vermehrung der Schauspieler eingetreten. Jedoch hat eine solche Neuerung wenig Wahrscheinlichkeit, da sonst die Dichter an dem überlieferten Organismus des Dramas nichts Wesentliches geändert haben. Erst die römischen Lustspieldichter fügten weitere Darsteller hinzu.

5) L. s. s. p. 174.

comoediam, quamvis singulae fabulae argumento nodoque continerentur artificioso, tres fere actores introductos esse, plures palliatae demum poetas Latinos ascivisse contendunt. Uterque provocat, quibus praecipue nititur, ad Soteriorum titulos[1]), qui, quamquam post Menandrum mortuum in parietibus templi incisi sunt, ad primum alterumve tertii a. C. n. saeculi dimidium sunt referendi. Et primo videlicet obtutu quam Bergk profert sententiam comprobari videtur Soteriorum catalogis. Exhibent enim artifices omnes musicos, qui Soteriis decertaverunt (οἵδε ἠγωνίσαντο τὸν ἀγῶνα τῶν Σωτηρίων) atque in his et tragici et comici greges enumerati ad unum omnes ex ternis, quod summi est ponderis, constant actoribus. Huc spectat decretum illud quoque civitatis Ptolemaeensium Thebaidis[2]), quod utrum ad postremos Philadelphi an ad Euergetae primos pertineat annos, critici ambigunt. Nam etsi tragici unius protagonistae cum quattuor ceteris histrionibus coniunctio rationem ostendit aliam ac Soteriorum tituli, tamen comicorum poetarum duorum inscripta nomina, quae histrionibus sex commemoratis respondent, eundem ordinem quem illi patefaciunt. Ut quarti quoque a. C. n. saeculi exeuntis testimonium afferam, Chares, ubi nuptias Alexandri Magni militumque eius Babylone habitas (a. 324 a. C. n.) describit, ternos tragoediae et comoediae histriones fuisse memorat (Athen. XII p. 538): ὑπεκρίθησαν δὲ τραγῳδοὶ μὲν Θεσσαλὸς καὶ Ἀθηνόδωρος καὶ Ἀριστόκριτος, κωμῳδοὶ δὲ Λύκων καὶ Φορμίων καὶ Ἀρίστων. Dubitare igitur non licet, quin illa aetas effuderit collegiorum scaenicorum copiam satis magnam, quorum greges singuli e tribus tantummodo histrionibus compositi erant. Neque enim est, cur eos, qui primas secundas tertias partes sustinuerunt, solos, non vero inferioris ordinis actores in titulis enumeratos esse cum Hermanno Collitz[3]) et Ph. E. Legrand[4]) aliisque

1) Quos a se Delphis inventos ediderunt primi C. Wescher et P. Foucart: Inscriptions recueillies à Delphes. Paris 1863, 4 sqq. Cf. H. Collitz: Sammlung griech. Dialekt-Inschriften vol. II (Göttingen 1889) n. 2563 (a. 272 a. C. n.), 2564 (a. 271), 2565 (a. 270), 2566 (a. 227 vel 226).

2) Cf. Dittenberger: Orientis Graeci inscript. select. vol. I. Lips. 1903, n. 51.

3) Collitz scribit (l. s. s. p. 738): Die Tragöden- und Komödentruppen bestehen immer aus je drei Hauptschauspielern.

4) In libro, qui inscribitur Daos, tableau de la comédie grecque pendant la période dite nouvelle (Lyon 1910), haec habet p. 368:

ponamus. Nam Menandrum, quem exempli gratia affero, composuisse fabulas, quarum omnes partes a tribus histrionibus potuerint suscipi, infra clare apparebit. Cave tamen inde conficias hunc solum usum νέας temporibus invaluisse atque ad ludos etiam scaenicos qui Athenis edebantur spectare. Etenim vel per se probabile non est post Aristophanem, qui, ut ipsius fabulae demonstrant, plus tribus actoribus usus est, histrionum comoediae numerum artius restrictum esse. Neque levis momenti instar habet, quod Euanthius, quem ex optimis auctoribus scimus pendere, de Graeca comoedia adulta haec scribit („de fabula" II 2 cf. Wessner, Donati comment. Terenti I, 1902 p. 16): „ad ultimum, qui primarum partium, qui secundarum tertiarumque, ⟨qui⟩ quarti loci atque quinti actores essent, distributum et divisa quinquepartito actu est tota fabula". Etsi grammaticus et hic et alio loco[1]) histrionum numerum ad comoediae actus quinos inepte refert, tamen memoria quinque novae comoediae actorum, quam ei debemus, nequaquam improbatur[2]). Evincitur enim cum Menandri arte, de qua disserere nostrum erit, tum aliorum νέας poetarum usu ac ratione. Nam ut cetera omittam, in Plauti Rudente[3]) et in Phormione

Ou bien, n'est-il pas concevable que les inscriptions nommant trois κωμῳδοί énumèrent seulement les principaux interprètes d'une comédie, mais non pas tous les interprètes?

1) III 1 cf. Wessner. p. 18: „comoedia vetus ab initio chorus fuit paulatimque personarum numero in quinque actus processit."

2) Cf. ea, quae Fr. Leo (Plaut. Forsch.[2] 1912 p. 226 not. 3), cum de comoediae quinquepartito actu disputans in Euanthii locum incideret. scripsit: Das Zeugnis für die regelmässige Anwendung einer grösseren Schauspielerzahl (Euanthius), während die Dreizahl offiziell und in literarischer Anwendung bleibt, ist darum nicht schlechter.

3) Quonam modo in Plauti Rudente, idque in Diphili exemplari Graeco, res se habeant, Fridericus Marx in scholis exposuit. Fabulae partes inter tres principalis ordinis, inferioris autem notae duos actores distribuit sic:

I	II	III	IV	V
Sceparnio Gripus Piscatorum princeps (cf. II 1 et 2 = v. 290 sqq.) Lorarius	Trachalio Arcturus	Daemones Charmides Ptolemocratia	Palaestra Pleusidippus	Labrax Ampelisca

Mirum enim esse exposuit numquam neque colloqui neque congredi

Terentiana rei indicia exstant tam expressa, ut neque de Diphilo neque de Apollodoro, quin quinque histriones adhibuerint, dubitari possit. Equidem magnopere miror, quod Bergk aliique qui huic assensi sunt hac in offensione omnino non haeserunt. Cuius opiniones irritas ne amplectamur, gravissima hic obstant argumenta, quibus pro fundamento iactis Menandream fabulam iam in quaestionem vocemus.

Caput II.

Quonam modo personae in fabulis Graecis distribuendae sint.

Sed antequam ipsa aggredimur proposita, de personarum inter singulos histriones distributione in universum disseramus necesse est. Kelley-Rees enim et in libello supra commemorato [1]) et in commentatione quae inscribitur The three actor rule in Menander [2]) haec potissimum praecepta in personis disponendis observanda esse contendit:

I. An actor, if he plays two or more rôles, must have enough time to change costume between the departure of the one character and the entrance of the other whose part he is to assume.
II. The same actor must play a given part throughout the drama; it is not permissible for a single rôle to be divided among two or more actors.
III. The doubling of incongruous rôles is to be avoided; male and female rôles, youths an aged persons should not be combined.
IV. Finally, the parts assigned to one actor should not be too many or of too miscellaneous of character.

Quibus in quaestionibus diiudicandis ut quam certissimum fundamentum ponamus, in poesi praecipue tragica censeo ver-

Pleusidippum cum Palaestra amica. Quod necessitate scaenica fieri, non arte poetae. Item Sceparnionem post v. 583 non iam apparere Gripumque esse factum.

1) The so-called rule of three actors in the classical Greek drama. Chicago 1908 p. 42 sqq.

2) Classical Philology 5, 1910 p. 293.

sandum esse, cuius in certaminibus poetae, ne leges scaenicas violarent, maxime cavisse unusquisque concedet.

Ac primum quidem vel inde, quod Kelley-Rees personas e sexu aut pro gradu aetatis singulis actoribus esse attribuendas easque insuper sic statuit disponendas, ut inter varias eiusdem histrionis partes aliquid necessitudinis et affinitatis inveniatur, satis patet, quantopere in his iudiciis nostrae aetatis rationi sit subiectus atque obnoxius. Inter plurima enim alia, quibus Graecorum ars scaenica a nostra differebat, haud scio an illud prorsus singulare fuerit, quod actorum numerus et tragoediae et comoediae tam artis finibus circumscriptus erat, ut eidem histrioni complures sive maioris sive minoris momenti personae agendae essent. Sane etiam inter nostrates vidimus in minoribus histrionum gregibus leviores partes haud raro tres quattuorve ab eodem homine suscipi, primarii tamen actores singulas tantum singuli obtinent. Neque minus rude atque inconditum nobis videtur, quod mulierculae ipsae histrioniam artem non factitabant, sed earum quoque personas ubique viri induebant agebantque [1]). Itaque vel ipsa natura rerum explanatur eiusdem fuisse histrionis diversis fabulae locis diversissimas suscipere partes. Ut iam in tragoediae primordiis illum peculiarem histrionem a Thespide ascitum [2]), quocum dux chori colloquia sereret, non unam eandem per totam fabulam personam egisse, sed ubicumque res exigebat, mutato per canticorum intervalla vestitu alium atque alium prodire potuisse viri docti consentiunt, quandoquidem et res ipsa suadet et illud persuadet, quod Thespis apud Suidam primus linteas personas invenisse dicitur [3]). Profecto qualis sit illa dissonarum partium in eodem actore coniunctio, certissime ponderatur ex Aeschyli arte, quippe qui in veteribus fabulis binos tantum adhibeat histriones [4]), ut de personarum distributione vix dubi-

1) Cf. Luc. de saltat. 28: καὶ γὰρ αὖ, ὅπερ ἐνεκάλεις τῇ ὀρχηστικῇ, τὸ ἄνδρας ὄντας γυναῖκας μιμεῖσθαι, κοινὸν τοῦτο καὶ τῆς τραγῳδίας καὶ τῆς κωμῳδίας ἔγκλημα ἂν εἴη.

2) Rei totiens decantatae singulos auctores afferre non attinet; conferantur quae exponit A. Müller l. s. s. p. 172.

3) Suid. s. v. Θέσπις . . . καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε καὶ τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν ἐν μόνῃ ὀθόνῃ κατασκευάσας.

4) Aristot. poet. IV 1449 a 15 sqq.: καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν· τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς. Cf. Diog. Laert. (Cobet) III 34 (56).

tari possit, in Orestea demum Sophoclis auctoritatem secutus novis tragoediae incrementis utatur. Sic in Persis, ut hoc petamus exemplum, alteri histrioni nuntii et Darei umbrae, alteri vero Atossae et Xerxis partes fuisse suscipiendas vestigia docent satis luculenta. Inde enim maxime apertum fit, cur Atossa in exeunte fabula, quod tuo iure exspectaveris, cum Xerxe filio reverso non conveniat in scaena neque querimoniis eius ac lamentationibus intersit; sed ubi Xerxem indigna lacerataque veste indutum esse comperit (v. 834 sqq.), Atossa materna sollicitudine valde afflicta domum discedit (ad v. 851), ut ornatu honesto allato filio obviam eat, nec postea senes lamentis dediti reginae doloris et curae recordantur, neque ipse Xerxes profundens questus flebiles ulla ratione matris mentionem movet. Itaque quod poeta Dareum Atossam, ut filio obviam properet, monentem inducit (v. 832 sqq.), nihil aliud spectavit, nisi ut reginam sapienter commodeque a scaena removeret. Re sic instituta idem histrio et Atossae et Xerxis personam potuit induere. Sive autem persuasum hoc habet sive non, Kelley-Rees certe hic desperabit singulas fabulae partes inter se longe discrepantes e consimili aetate aut e sexu aut quavis alia communi ratione utrique assignare actori. Iam intellegimus, quid sibi velint haec Luciani verba (Necyom. 16): Οἶμαι δέ σε καὶ τῶν ἐπὶ τῆς σκηνῆς πολλάκις ἑωρακέναι τούς τραγικοὺς ὑποκριτὰς τούτους πρὸς τὰς χρείας τῶν δραμάτων ἄρτι μὲν Κρέοντας ἐνίοτε δὲ Πριάμους γιγνομένους ἢ Ἀγαμέμνονας καὶ ὁ αὐτὸς εἰ τύχοι, μικρὸν ἔμπροσθεν μάλα σεμνῶς τὸ τοῦ Κέκροπος ἢ Ἐρεχθέως σχῆμα μιμησάμενος, μετ' ὀλίγον οἰκέτης προῆλθεν ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ κεκελευσμένος. Optimo igitur iure Kaffenberger contendit (l. s. s. p. 10 sq.): Wenn man in der griechischen Tragödie auf Grund des Dreischauspielergesetzes eine Rollenverteilung durchführt, so treten dabei Eigentümlichkeiten zu Tage, die für unser modernes Gefühl ganz absonderlich, ja barbarisch erscheinen. Da spielt derselbe Schauspieler, der vorhin noch eine jugendliche Göttin gegeben hat, nunmehr einen greisen Pädagogen, der Darsteller des Orest gibt im nächsten Akt vielleicht die Klytaimestra. Der moderne Mensch, der die heutigen Bühnengepflogenheiten kennt, kann sich nicht frei genug machen von modernen Begriffen, wenn er ein einigermassen treffendes Bild von der antiken Aufführung gewinnen will.

Quae non solum ad tragoediam sed etiam ad comoediam attinere vel e re ipsa patet et ab Aristide teste confirmatur (Keil II p. 111, 15 sq.: ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς στρατιώτης μετεσκεύασται, ὃς ἀρτίως ἦν γεωργός) et illud docet, quod Quintilianus (inst. or. XI 3, 178) clarissimorum comoediae histrionum Demetrium non modo „deos et iuvenes et bonos patres", sed etiam „matronas et graves anus" optime egisse, at Stratoclea „acres senes, callidos servos, parasitos, lenones et omnia agitatiora melius" sustinuisse tradit. Consentaneum quidem est poetas et tragicos et comicos in disponendis personis etiam gradus ordinesque actorum, et, quantum fieri posset, peculiarem cuiusque indolem respexisse, postea etiam histriones, cum poetis non iam curantibus ab ipsis fabulae committerentur, suas cuique partes cessisse. Ceterum cum veste tum larva mutata satis superque impediebatur, quominus ipsius actoris indole proprietas et natura uniuscuiusque personae evanesceret. Itaque spectatores, etiamsi, id quod vix semper evitari poterat, prioris personae actorem in posteriore vocis potissimum auditu recognoverant, tamen ipso personae aspectu de partium dissimilitudine admonebantur. Praeterea histriones id maxime dabant operam, ut personae susceptae cum motum gestumque exprimerent tum vocem quam diligentissime imitarentur [1]).

Sed haec quidem hactenus. Iam videamus, num sedulo caverint poetae scaenici, ne umquam easdem partes inter complures distribuerent actores, quod Kelley-Rees teste quidem non allato statuit. Nam cum nullius auctoris testimonio acceperimus neque habitum mutatum neque imitandi artem satis subsidii praebuisse, ne promiscua illa partium coniunctione peculiares personarum naturae inter se confunderentur, vel inde concludere licet neque tum res diversitate agendi esse perturbatas, cum in eadem fabula alter histrio alterius locum occupabat eiusque in vices succedebat. In universum quidem si quas personas semel inter se confabulantes spectavimus, singulas etiam per reliquam fabulam diversis assignamus actoribus; tamen iam apud tragicos contrarium quoque usu venisse et evidentissimo palam fit testimonio et ipsius rei necessitate exigitur. Itaque

1) Aristot. rhet. III 1, 1403 b 26 sqq.: ἔστι δὲ αὐτὴ μὲν ἐν τῇ φωνῇ, πῶς αὐτῇ δεῖ χρῆσθαι πρὸς ἕκαστον πάθος, οἷον πότε μεγάλῃ καὶ πότε μικρᾷ καὶ πότε μέσῃ, καὶ πῶς τοῖς τόνοις, οἷον ὀξείᾳ καὶ βαρείᾳ καὶ μέσῃ, καὶ ῥυθμοῖς τίσι πρὸς ἕκαστον. Singulos auctores affert A. Müller l. s. s. p. 193 sq.

hoc de usu, quoniam ad quaestionem hanc pertractandam magnum discrimen atque momentum affert, accuratius disputandum est.

Insigne exemplum praebent Euripidis Phoenissae, ubi poetam in partibus disponendis hanc rationem secutum esse iam veteres perspexerunt[1]). Prologi enim verbis pronuntiatis Iocaste vix reliquerat scaenam (v. 87), cum in regiae domus tectis paedagogus apparet (v. 88). Alloquitur Antigonam nondum visam, cui mater permisit, ut ex summis aedibus Argivorum conspiceret exercitum. Sed antequam procedere ei licet, paedagogus undique indagat, num quis prope sit; etenim cavere vult, ne aut Antigona aut ipse vulgi sermones lacessat (v. 92—99). Itaque fit, ut Antigona multo post in conspectum progrediatur. Sed verba illa paedagogi adeo arcessita sunt atque tam inani nituntur ratione, ut neminem fugiat poetam tempus sermone terendum curasse. Cur res sint ita institutae, scholiasta rectissime perspexit, cum annotat ad v. 93: ταῦτα μηχανᾶσθαί φασι τὸν Εὐριπίδην, ἵνα τὸν πρωταγωνιστὴν ἀπὸ τοῦ τῆς Ἰοκάστης προσώπου μετασκευάσῃ· διὸ οὐ συνεπιφαίνεται αὐτῷ Ἀντιγόνη, ἀλλ' ὕστερον. Luce est clarius Euripidem id spectasse, ut partes et Iocastae et Antigonae, quia gravissimae erant, non quia femineae erant, coniunctae a protagonista susciperentur. Quamquam vero poeta deterritus non est, quin Iocastam et Antigonam una introduceret — confabulantur enim v. 1270—1282 —: eiusdem igitur Antigonae partes, quas ante et post sustineret protagonista, illa in scaena (v. 1270—1282), ubi sane minoris sunt momenti, alii actori sive deuteragonistae sive tritagonistae attribuit. Hoc ipso exemplo, quam inania sint praecepta a Reesio data, aperte enucleatur. Etenim cum nihil obstaret, quominus per totam fabulam alius atque Iocastae actor Antigonam indueret, tamen poeta, ut Antigonae quoque utpote graviores partes daret protagonistae, ad tantam personas mutandi libertatem procedere maluit. Neque vero veteres in re sic ab Euripide instituta offendisse traditum invenimus, ut inde satis pateat hunc usum minime abhorruisse a Graecorum arte scaenica. Quare nec de Sophoclis Oedipode Coloneo ambigi potest, cuius iam Odofredus Mueller[2]) acute intellexit eam condicionem esse, ut nisi

1) Quod rectissime in mentionem revocavit Kaffenberger l. s. s. p. 41 sq.

2) In edit. Aesch. Eumen. (Gotting. 1833) p. 172 not. 9.

easdem partes inter diversos actores distributas statuamus, quattuor histriones fuisse necessarium sit. Sunt vero, qui hac in fabula aliam distribuendi viam ineant, Phoenissarum quidem testimonio neglecto, eodemque modo, quo olim Aeschylus sub finem vitae tres histriones asciverit, Sophoclem postremo ad quattuor ascendisse suspicentur[1]). Hoc tamen ne cum istis amplectamur, vel altum veterum silentium in re prorsus singulari monet, quandoquidem quarto adhibito actore posterioris aetatis tragoediae ars quam maxime esset immutata. Et Aristoteles gravissimus testis obloquitur, cum docet (Poet. IV 1449 a 13 sqq.): καὶ πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα ἡ τραγῳδία ἐπαύσατο, ἐπεὶ ἔσχε τὴν αὑτῆς φύσιν, enumerat deinde, quaenam tragoediae mutationes factae sint; sed actorum numerus post Sophoclem, qui ternis contentus fuerit, non iam auctus est. Accedit, quod in Oedipode Coloneo diligentissime observasse Sophoclem videmus, ne ullo loco quattuor simul personae colloquerentur. Etenim cum Theseus fugatis Creontis satellitibus sub ipsum fabulae exitum duas filias Oedipodi reddat (v. 1099 sqq.), perfacile cognoscitur eum, qui Ismenae mutae partes sustinet, non iam eundem esse atque qui antea tertius cum Oedipode et Antigona (v. 324 sqq.) confabulatus est, si quidem hunc iam non Ismenam sed Theseum agere opus est. Itaque Thesei partes a compluribus deinceps actoribus susceptas esse certissimum existimo[2]). Denique non minus in difficultates prorsus inexplicabiles defertur, si quis partes Rhesi fabulae, quae recentioris aevi foetum videtur praebere, inter tres histriones ita dispertire velit, ut suum quaeque pars histrionem servet. Inveniuntur sane, qui ad singulas huius fabulae partes agendas non minus quattuor histriones postulent[3]). Atque illa quidem scaena maxime videtur offendere, ubi Ulixi Diomedi Minervae in conspectu agentibus Paris quartus accedit (v. 642). Sed iam Godofredus Hermann[4]) acutissime explanavit Ulixem post versum

1) O. Müller ibidem atque in hist. litt. Graec. I⁴ p. 510, quem et alii et A. Müller (l. s. s. p. 175 sq.) et Kelley-Rees in diss. p. 45 sq. secuti sunt.

2) Quod optimo iure iam contendit C. Fr. Hermann: Disputatio de distributione personarum inter histriones in tragoediis Graecis. Marburg. 1840 p. 41 sqq.; defendit sententiam in annalibus qui vocantur Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. Berlin 1843 col. 432 sq.

3) Wilamowitz in Herculis Euripidis edit.^{1} 1889 I p. 41 not. 81.

4) G. Hermann: De Rheso tragoedia. Opusc. III p. 284.

626 ad capiendos Rhesi equos digressum actori suo locum atque copiam ad habitum Paridis sumendum fecisse. Profecto e Minervae Diomedisque colloquio, quod sequitur (v. 626 sqq.), dilucide apparet Ulixem reliquisse scaenam, quippe qui neque ipse quicquam loquatur neque a personis agentibus ulla respiciatur ratione. Quominus igitur Paridis ad versum 642 introducti personam idem, qui ante Ulixem suscepit, induat histrio, nihil obstat. Neque vero id opponere licet, quod Ulixis ad v. 668 redeuntis partes idem actor atque ante sustinere nequit, cum Paridem ad v. 667 remotum tam exiguo sequatur intervallo, ut mutandae vestis tempus non intercedat. Nam ut cum Carolo Listmann (l. s. s. p. 89) atque Henrico Kaffenberger (l. s. s. p. 44) Ulixis personam inde a versu 668 usque ad versum 691 ei, qui ante Diomedem egit, attribuamus histrioni, illud plane movet, quod Diomedes ipse nulla hoc loco verba facit, cuius obtinendae hic partes ideo κωφὸν πρόσωπον tantum requirunt. Sed cum videamus huius fabulae poetam et Oedipodis Colonei auctorem Sophoclem consulto atque sedulo cavisse, ne umquam quattuor simul personas confabulantes introducerent, ideoque in dispertiendis pluribus per tres actores partibus huius rei subsidium petivisse, Euripides contra in Phoenissis eiusdem personae partes duobus dedit histrionibus maluitque a vulgari distribuendi ratione ea tantum de causa discedere, ut graviores Antigonae partes protagonistae daret. Nos autem hoc tragicorum usu cognito in nova quoque quae dicitur comoedia, quot personae simul introducuntur, tot actores nec plures fabulas dedisse statuemus, nisi scaenica quaedam necessitas impedimento est; si vero aliquid difficultatis partium inter eosdem histriones distributio creat, hoc quovis alio potius modo quam augendo actorum numero explicare conabimur.

Restat denique, ut de temporis intervallo pauca addamus, quo histrio ornari atque, ut Plauti verbis utar[1]), alius fieri poterat. Et hic quidem ordiendum esse arbitror a Choëphoris, quibus nulla fabula insignius eius rei exhibet exemplum.

Aegistho domi interfecto servus quidam ex aedibus prorumpit (v. 875), qui Clytaemestram ut caveat praemoneat. Paulo post (v. 885) ipsa introducitur, ubi quaenam perficiantur comperit, servum securim festinanter afferre iubet (v. 889).

1) Poenul. prol. v. 127.

Vix autem ille remotus erat, cum ipse accurrit Orestes (v. 892), qui matris scelus ulciscatur. At Clytaemestra omnia molitur, ut a matricidio deterreat filium. Neque levibus Orestes agitatur scrupulis, utrum perpetret caedem necne. Dum inter verecundiam et iras haesitat, Pyladem subito conspicit progredientem eumque adit interrogans v. 899: Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδεσθῶ κτανεῖν; Et in ipso discrimine Pyladis, qui de Apollinis oraculo edito admonet, verbis v. 900 sqq. res agendae decernuntur. Ex argumento igitur huius scaenae, quam neque alii neque A. Mueller[1]) neque vero Kelley-Rees[2]) recte interpretati sunt, clare cognoscitur Pyladem ante versum 899 demum accessisse. Profecto quanta arte rei nexus hic institutus sit, perspicue explanavit Kaffenberger, qui habet haec (l. s. s. p. 18): In dieser Szene zeigt sich Aeschylus als der geniale Dramatiker. Es ist bewundernswert, wie er bei dem lebhaften Personenwechsel mit seinen drei Schauspielern auszukommen versteht. Der Diener muss nach v. 889 schnell abgehen, weil sein Schauspieler vor v. 899 wieder als Pylades auftreten muss. Deshalb ist das wirkungsvolle Motiv erfunden, dass Klytaimestra das Beil verlangt, deshalb das Zaudern des Orest im entscheidenden Augenblick. Quae ut comprobemus eo quoque adducimur, quod ne veteres quidem interpretes brevi hoc spatio ornandi impediti sunt, quominus eundem histrionem, qui ante servi partes egisset, Pyladis induisse personam statuerent. Acute enim scholiasta hac partium distributione, ne actorum numerus augeretur, provisum esse intellexit, cum annotat ad v. 899: μετεσκεύασται ὁ ἐξάγγελος εἰς Πυλάδην, ἵνα μὴ δ' λέγωσιν[3]). Itaque hoc ipso loco non solum illustratur, quam exiguum temporis inter-

1) Scribit l. s. s. p. 175: In den Choëphoren hatte Aeschylos zwar drei Schauspieler, aber v. 900 ff. scheint für den in den übrigen Teilen des Stückes stummen Pylades ein vierter erforderlich, da sich der οἰκέτης zwischen v. 886 und 892 nicht in den Pylades umkleiden konnte.

2) Docet haec (diss. p. 43): The Exangelus leaves Clytaemestra upon the scene at 886. She is alone 886—891. Orestes and Pylades enter 892. The brief interval between the exit of the Exangelus (886) and the entrance of Orestes and Pylades (892) preclude the possibility of the Exangelus changing costume and reappearing in the character of Pylades or Orestes. Cf. C. Weissmann in Reesi libelli cens. (Neue philol. Rundschau 20, 1908 p. 461).

3) Huc spectat lex illa Horatiana ad tragoediam referenda (de art. poet. v. 192): „Nec quarta loqui persona laboret."

vallum sufficiat ad personam mutandam, sed id praecipue inde cognoscimus, quantum spatii sola agendi ratione, id est gestu motuque histrionum, potuerit consumi, quo magis alii actori, ubicumque res exigebat, ornandi copia daretur. Quod vero ad comoediam attinet, illa Thesmophoriazusarum pars (v. 252 sqq.), ubi Mnesilochus in conspectu ipso mulieris induit vestimenta, satis ostendit, quam velociter habitus mutatio potuerit perfici, quae etiam minus habebat negotii recentiore aetate, cum novae comoediae actores vestimentis uterentur, quae a communi hominum consuetudine non differrent[1]). Praeterea aptissimum rei supplementum praebebant personae, id est larvae scaenicae, utpote quibus non solum os sed etiam caput undique esset coopertum[2]). Quotiescumque autem quaeritur, num vestis mutandae tempus supersit, id quoque observandum est, utrum histrio ex aedibus ipsis in scaena sitis[3]) procedat aut eo redeat an per aditus, qui vocantur πάροδοι, in scaenam vel ingrediatur vel egrediatur e scaena, quorum quidem adituum alterum, qui actoribus ad dextram erat manum, et in ipsam urbem et ad portum, alterum contra rus sive peregre ferre veteres animo fingebant[4]). Postremo unum addendum est. Saepe enim fit in Menandri fabulis, ut omnibus quae agunt personis remotis in scaenam vacuam persona aliqua aut complures procedant, quarum adventus a digressis antea nulla indictus est ratione. Quaenam rebus sic institutis crebro sint effecta, recte perspexit Graf, cum explicat haec[5]): In diesem Falle bleibt die Bühne eine gewisse Zeit leer, die sich, wenn erforderlich, beliebig ausdehnen lässt. Dadurch wird es oft möglich, einem Schauspieler mehr Zeit zum Umkleiden zu verschaffen. Spatii

1) Conferantur quae exponit A. Müller in libro, qui commemoratus est, p. 258 sqq. cum iisque tabula picta ab eo addita p. 257. Easdem res brevius tractavit in opusculo, quod inscribitur Das attische Bühnenwesen. Gütersloh 1902 p. 81.

2) De novae comoediae personis diserte nuper scripsit C. Robert in commentatione: Die Masken der neueren attischen Komödie. 25. Hall. Winkelmannsprogr. Halle 1911.

3) De Menandri scaena eiusque fronte et apparatu egit Rud. Graf in diss.: Scenische Untersuchungen zu Menander. Giessen 1914 p. 14 sqq.

4) Cf. A. Müller: Scenisches zur römischen Komödie (I. Rechts und links). Philol. 59, 1900 p. 9 sqq.; A. Kretschmar: De Menandri reliquiis nuper repertis. Diss. Lips. 1906 p. 21 sqq.; Eug. Petersen: Die attische Tragödie als Bild u. Bühnenkunst. Bonn 1915 p. 559 sq.

5) In dissert. memorata (cf. not. 3) p. 49 sq.

sic intermissi, quod nos dicimus Leere Bühne mitten im Akt, exempla nonnulla idem Graf e Menandri reliquiis collegit (l. s. p. 50 sq.). Quibus praemissis ad ipsam accedamus quaestionem.

Caput III.

Quae e Menandri ipsius reliquiis nuper repertis ad rem argumenta peti possint.

§ 1. De quibusdam Disceptantium et Samiae locis.

Quot histriones adhibuisset Menander, novissime complures viri docti e fragmentis amplissimis nuper repertis enucleare conati sunt. Ac primus, quantum video, Ph. E. Legrand[1]) accuratius de Disceptantium et Circumtonsae actorum numero disseruit. Qui ad utramque agendam fabulam, etsi nullo loco plus tres personae simul introductae sint[2]), ternos haud suffecisse contendit histriones, quoniam crebro vestitus mutandi tempus non detur. Quamvis haec perspicaciter de Circumtonsae ultima scaena, quae erit infra pertractanda, exposuerit, tamen eis Disceptantium exemplis, quae affert, sententia eius minime confirmatur. Nam nihil obstat, ne Smicrinis, qui arbitri munere perfunctus ad versum 153 discedit, sive Davi ad versum 158 conspectum relinquentis actor, etsi uterque per πάροδον abeunt, Onesimi ad versum 165 progredientis suscipiat partes[3]). Syriscus enim, qui in scaena remanet, tot tantisque crepundiorum negotiis distentus est et longis ambagibus mulieri dat mandata (v. 159—165), ut alteri histrionum, qui ante digressi sunt, sit copia Onesimi habitus induendi, qui sibi, id est Syrisco, cum uxore ornamenta infantis excutienti superveniat. Nec minus frustra Legrand eruere studet Onesimi soliloquium v. 457—486, quamquam triginta fere explet versus, non satis

1) In libro, qui inscribitur: Daos, tableau de la comédie grecque pendant la période dite nouvelle. Lyon 1910 p. 368 sqq.

2) Quod cum Circumtonsae rebus minime congruere postea videbimus.

3) Legrand scripsit p. 368: Jusqu'au vers 201 des Ἐπιτρέποντες Syriscos est constamment en scène; il y est, jusqu'au vers 153, avec Smicrines et Daos; jusqu'au vers 159, avec Daos seul; à partir du vers 165, avec Onésimos. Si trois acteurs devaient jouer la pièce, il faudrait que l'un deux, du vers 153 ou du vers 159 au vers 165, changeât de costume et de rôle.

magnum temporis intervallum effecisse, ut sive Pamphilae — falso Legrand „Sophroné“ scripsit, Pamphilam enim hic induci cognovit Jensen (Mus. Rhen. vol. 65, 1910 p. 635) — sive Abrotoni, quae ambo ad versum 456 Smicrinis intrant aedes, actor personam Charisii ad versum 487 prodeuntis susciperet. Nescio an ille putet histriones sine motu ullo ac gestu peregisse partes versusque sine ulla pronuntiandi arte decantasse. Re ipsa opiniones istae ad irritum rediguntur, quas longius tractare non iam opus sit.

Post Legrandium de Disceptantium Circumtonsae Samiae actorum numero quaestionem instituit Kelley-Rees in ea quam commemoravimus commentatione [1]). Qui quam futtilia praecepta de personis distribuendis statuerit ieceritque pro fundamento, longe supra demonstravimus ita, ut ea, quae indagaverit, a principio in dubium sint vocanda, praesertim quod in verba magistri iurans unam editionem Eduardi Capps [2]) sine ratione critica secutus est. Argumenta, quibus Menandrum plus ternis actoribus esse usum probari arbitratur, habet haec p. 302:

I. There are four scenes in which four speaking characters are present at the same time. In two of these scenes the fourth character speaks either in the presence of the other three or immediately after the exit of one of these; in the two other scenes the fourth character, who elsewhere has a speaking part, is present as a mute.

II. Four instances occur where, if the poet had only three speaking actors at his disposal, the actor would not have enough time to change dress between the exit of one character and the entrance of the next which he is to impersonate.

III. The three-actor distribution would necessitate the splitting of six rôles between two or more actors. In the Epitrepontes alone, three rôles would have to be divided; in the Periceiromena two, and in the Samia one.

IV. Nearly every actor is forced to carry a combination of rôles which are quite unsuitable for one actor.

Quod primum ad eas attinet scaenas, in quibus quattuor personas rebus agendis interesse contendit, has mittere iam possumus, quia ad unam omnes sunt Circumtonsae fabulae,

1) Classical Philology 5, 1910 p. 291 sqq.

2) E. Capps: Four Plays of Menander. New York 1910.

de qua infra uberius erit disputandum. Tres deinde enumerat locos (p. 297 sq.), ubi personas sibi tam exiguo intervallo censet succedere, ut vestis mutandae tempus intermitti nequeat. At Circumtonsae tantummodo ultimae scaenae nexum, unde Legrand quoque petivit argumenta ad sententiam confirmandam, apte recteque in memoriam revocat — qua de scaena postea dicetur —; etenim quonam modo se habeant res primae Disceptantium partis, quam cum Legrandio Rees affert, supra enodatum est. Neque vero ullius est ponderis illud quod e Samia sumit exemplum [1]). Nam quod Rees arbitratur Chrysidem, cui ante ipsas fores Parmeno servus dat mandata haec v. 86 sqq:

δίαγε Χρυσὶ πάνθ’ ὅσ’ ἂν
ὁ μάγειρος αἰτῇ· τὴν δὲ γραῦν φυλάττετε
ἀπὸ τῶν κεραμίων,

processisse paululum, Menandri artem scaenicam minime perspexit. Saepenumero enim Menander personas ante aedium fores cum alia quavis persona, quae non conspicitur sed intus remanet, loquentes facit. Exempla, quae Graf (l. s. s. p. 57 sq.) collegit, fabulis Plautinis Terentianisque valde licet augere. Itaque vel hanc ob rem Reesi opinio labefit. Insuper vero nihil obstaret, quominus Chrysidis personam, si re vera esset introducta, κωφὸν πρόσωπον quoddam hic ageret. Quanti sint denique argumenta a Reesio e promiscua personarum distributione ducta, ante late explanavimus, quae repetere hic non iuvat. Ceterum et Disceptantium et Samiae partes, quatenus e fragmentis cognoscitur, inter ternos histriones ita posse dispertiri, ut suas quisque per totam fabulam servet, perfacile tibi persuadebis, si contuleris, quonam modo Rudolphus Graf res expediverit [2]). Qui singularum comoediarum reliquias iterum in quaestionem vocando affirmare conatus est Menandrum cum alia ratione

1) Profert Rees haec p. 297 sq.: Demeas, Parmenon, and the Cook are present at vs. 71. In the next scene Demeas, Parmenon, and Chrysis take part in the action. Chrysis puts her head out at vs. 89, and, although she does not speak in this scene, yet she must be regarded as a speaking character. In the preceding scene the Cook departed at vs. 83. With only three actors, the same actor would have to take the parts of both the Cook and Chrysis. But the six verses between the exit of the Cook and entrance of Chrysis allow too short a time for the actor to retire, change dress, and reappear.

2) In altera parte opusculi: Scenische Untersuchungen zu Menander. Diss. Giss. 1914 p. 29 sqq.

ex Euripidis arte pendere tum ea re, quod tres tantum adhibeat histriones. Sed valde dubito, fueritne eius disputatio ad eundem exitum adducta, si Graf huic de Menandro Euripidis imitatore opinioni non subiectus propositum aggressus esset neque vero cum permultis aliis criticis Horatianum illud „nec quarta loqui persona laboret" (de art. poet. v. 192) perperam ad Menandri rettulisset artem. Etenim tota epistulae pars, in qua poeta Latinus de tribus tantum personis introducendis legem enuntiat, minime gentium ad comoediam, sed non nisi ad tragoediam Graecam pertinet. Simplicitatem enim actionis, quam tragoediis Graecis observatam invenit, hoc loco Horatius suae civitatis manifesto commendat poetis. Itaque mirum non est, quod Graf rebus interdum vim intulit, ut praeceptum Horatianum cum Menandri fabulis convenire evinceret[1]). Nam licet e Syrisci mulieris prorsus mutae partibus (cf. Epitr. v. 1—188) acute concluserit (l. s. s. p. 33) Disceptantium fabulam ita esse institutam, quae a tribus histrionibus agi posset, et Samiae quoque personas recte inter tres distribuerit actores (p. 43), tamen in Circumtonsae reliquiis — de exiguis videlicet aliarum Menandri fabularum fragmentis disserere nihil refert — vestigia exstant, quibus ad fabulam agendam plus tres histriones necessarios fuisse plane patefit.

§ 2. De Circumtonsa.

Quare Circumtonsae fragmenta denuo iam pertractare, quamvis quaestio videatur profligata, supersedere non possumus. Nostrum tamen non est in quaslibet incidere controversias, sed satis habemus in universum rei summam in restituendis singulis scaenis exponere ac repetere, editiones praecipue secuti Alfredi Koerte[2]) et Sigofridi Sudhaus[3]), easque tantum fabulae partes

1) Ceterum Graf de suo ipse iudicio videtur dubitasse, quod dicit p. 47: Ich weiss sehr wohl, dass mein Versuch, die Rollen aller Stücke auf drei Schauspieler zu verteilen, unsicher bleibt, schon deshalb, weil keine einzige Komödie ganz erhalten ist. Similiter profert Rees in fine commentationis suae (Class. Philol. p. 302) haec: There is little doubt that, were the remains of the plays more complete, still greater difficulties would be encountered in the attempt to distribute the parts among three actors.

2) „Menandrea ex papyris et membranis vetustissimis" iterum edidit A. Koerte. Lips. 1912.

3) „Menandri reliquiae nuper repertae", iterum edidit S. Sudhaus. Bonn. 1914.

accuratius scrutari, e quibus gravis ponderis argumenta ad rem diiudicandam eruere licet.

Fabulae reliquiae incipiunt ab Ἀγνοίας prologo, quae et res ante actas exponit et, quanam ratione argumenti nodus procedente fabula expediendus sit, praenuntiat (v. 1—51). Tum in conspectum progreditur Sosia Polemonis emissarius, ut militi apportet pallium et renuntiet simul, quid Glycera moliatur. Accipimus hoc loco Polemonem, quem iracundiae flagitiique in amicam commissi vehementer paeniteret, exornasse prandium, ut cum sodalibus convocatis vino pelleret sollicitudines (v. 52 sqq.). Ad versum 64 (πορεύσομαι δέ) militis domum servus intrat eri exsecuturus mandata; paulo post (ad v. 68) idem inde revertitur et scaenam ad versum 70 relinquit, ut Polemonem de exploratis rebus certiorem faciat. Quem quae interim introducta est Doris (ad v. 61) neque conspicit neque audit[1]), sed a Glycera missa[2]) statim ad Myrrinae se convertit aedes feritque ianuam, dum condicionis iniquitatem eraeque miseriam valde conqueritur (v. 64—70).

Iam septuaginta fere versus desunt. Quanam autem ratione quae interciderunt coniectando sint restituenda, dilucide perspicimus ex insequenti parte (v. 71—76). Davus enim gaudet, falsa quidem opinione elatus, Myrrinam, Moschionis matrem adoptivam, tam benevolam comemque se praestare erga filium, ut mulierculam ei dilectam ultro introducat, itaque festinanter discedit Moschionem quaesitum, cui exoptatum afferat nuntium. Patet igitur Myrrinam, postquam ex aedibus a Doride est evocata, Polemonis comperto facinore sese Glyceram, quam a militis vi contumeliisque protegeret, tectis recepturam esse promisisse: quo facto eram, ubi ab ancilla arcessita est, a Myrrina ipsa in aedes suas esse introductam. Quapropter contendere cogor hac in scaena non servata praeter

1) De hoc agendi modo, qualis est in Menandri fabulis, conferatur O. Schaffner: De aversum loquendi ratione in comoedia Graeca. Diss. Giss. Darmstad. 1911 p. 10 sqq.

2) E Doridis verbis (v. 61) ἐγὼ προσ[ε]στῶσ' ὄψομαι κεκτημένη Kelley-Rees p. 297 perperam confecit Glyceram quoque paululum ante fores processisse. Hanc cum histrione, qui adesse fingitur, confabulandi rationem — conferantur quae supra p. 21 exposuimus — Graf acute pervestigavit, cum haec docet p. 57: Glycera selbst ist gar nicht in der Tür zu sehen. Doris muss die Worte mit halb zurückgewandtem Gesicht sprechen. Itaque vel hac de causa opiniones corruunt, quas Rees sententia illa fretus affirmare studuit.

iuvenum temulentorum gregem quattuor personas, Doridem dico Myrrinam Glyceram Davum, rebus interfuisse agendis; neque vero intellego, quibus nisus argumentis Graf ipsam Doridem — Davi nempe partium tenemus reliquias — a personarum, quae hoc loco agunt, numero segregandam esse putet, cum profert haec p. 43: An dieser Szene waren wohl Myrrine und Glykera als redende und einige Sklaven als stumme Personen beteiligt. Immo quonam studio erae, cuius e Polemonis domo parat fugam, negotia curet expediatque ancilla, qui antecedunt versus tam aperte ostendunt [1]), ut de Doridis opera ac partibus in ipsa re perficienda ambigi non possit. Huc accedit, quod postea ancillam a Myrrina redeuntem spectamus; etenim rerum nexus haud in medio relinquit, quin Doris ad versum 170 e Myrrinae domo prodierit in conspectum [2]).

Postquam adulescentium ebriorum chorus, quem appropinquare Davus pronuntiavit (v. 71 sq.), munere suo perfunctus est, cum Davo ipse advenit Moschio (v. 77). Qui re procedente servum bis in matris intromittit aedes, ut quaenam intus agantur exploret atque speculetur (v. 108 et v. 120). Ambo ad versum 163 intrant domum.

Nova incipit scaena a brevi soliloquio, in quo Sosia cum paenula et gladio introductus sese iterum, ut quae Glycera agat sciscitetur, a milite missum esse exponit (v. 164 sqq.). Qui postquam Polemonis aedes intravit (v. 170), a vicinis redit Doris et pronuntiat, quonam metu opprimatur (v. 170 sqq.). Habet enim, cur timeat, ne Polemo erus rure redux magnas turbas excitaturus sit (v. 173 sqq.). Dum talia sibi fingit, necopinato Sosia e Polemonis proruit aedibus (v. 176), cum intus Glyceram frustra quaesiverit.

1) Quae perspicaciter cognovit Graf, qui habet haec p. 43: Doris, ganz in ihre Aufgabe vertieft, der Glykera zur Flucht ins Nachbarhaus zu verhelfen, bemerkt ihn (Davus) gar nicht. . . . . Doris hat inzwischen einen Sklaven der Nachbarin veranlasst, auf ihr Klopfen zu öffnen. Die Worte παιδίον, κέλευέ μοι bilden die Einleitung zu ihrem Versuch, ein Gespräch mit der Nachbarin zu erreichen, um mit ihr über Glykeras Flucht zu verhandeln.

2) Cf. Koerte edit.[2] praef. p. XXXVIII: „Doris postea (170 sqq.) in aedes Polemonis revertitur, nam quamquam Glyceram, domini concubinam, appellat dominam, tamen non huius sed militis serva est, id quod luculenter apparet e scaena ultima, in qua ille ei manumissionem promittit (404 sq., cf. 427). Hoc quoque Graf concedit scribens p. 51: Perikeiromene 170 tritt Sosias in Polemons Haus ein. Die Szene bleibt ein Weilchen leer, bis Doris aus Myrrines Haus herauskommt.

Vehementer primo invehitur in militis mancipia, quippe quae Glycerae non prohibuerint fugam (v. 176 sq.), tum ostium pulsaturus Myrrinae petit domum, ut a vicinis facti rationem exigat (v. 179 sqq.). Interim quae a servo non conspecta est Doris nonnulla secum facit verba (v. 178 et 181 sq.). Ille contra, cum Myrrinae domum introire paret, male verbis accipitur ab ostiario (v. 183), alter in alterum maledicta congerit atque convicia, tandem aedes sese cum militis satellitibus vi expugnaturum esse Sosia minatur (v. 183—206). Postquam ostiarius intus se recepit, Sosia invehitur in Doridem, quae servi iras lenire (v. 207) [1]) Glyceraeque fugam excusare frustra conatur (v. 210—216). Iterum hiat lacuna sexaginta fere versuum, qua cum exitum eius, quae antecedit, partis tum maxime conclamatissimae scaenae, quae sequitur, initium intercidisse dolemus. Sed aggrediamur ad ea, quae diem tulerunt.

Id quidem apud omnes fere nunc constat [2]) versus 217 sq. Sosiae servo esse assignandos, qui duce Polemone cum eius famulis Myrrinae domum oppugnaturus sit, spectare vero ad Pataecum, qui turbas sedare studeat. Quem a vicinis argento, periculum impendens ut propulsaret, corruptum esse perhibet Sosia, et militem, ne consiliis eius pareat, iam conatur praemonere. Quare omnia, quibus cum alii tum Robert et de Arnim Sosiam Pataecum Polemonem hic partes agere confirmaverunt, ab ovo explanare haud libet. Qui etsi in verba distribuendi ratione postea paululum inter se discrepant, tamen in versibus 224—227 inter singulas personas dispertiendis consentiunt. Neque quin recte dederint hic partes, dubium est. Pataecus enim v. 224 ([π]είσθητί μοι) militem monet, ut suis obsequatur mandatis. Cui deinde interroganti

1) Sudhaus in edit. recent. verba quoque (v. 187 sq.) ὡς πο[νηρὸς εἶ] | καὶ συκοφάντης, ὅστ[ι]ς [α]ὐ[τὴν] α[ἰτιᾷ] Doridi Sosiam retinenti attribuit.

2) Cf. de Arnim: Zu Menanders Perikeiromene. Zeitschr. für die österr. Gymn. 60, 1909 p. 2 sqq.; Robert: Zur Perikeiromene des Menander. Herm. 44, 1909 p. 265 sqq.; Sudhaus: Der Kampf um die Perikeiromene. Mus. Rhen. 64, 1909 p. 419 atque in edit. prior. (Bonn. 1909) et recent.; de Leeuwen: Ad Menandri fragmenta nova. Mnemosyne N. S. 37, 1909 p. 231; Ed. Capps: Four Plays of Menander. Chicag. 1910 p. 185, cui Kelley-Rees (l. s. s. p. 294) astipulatus est; G. A. Gerhard: Zu Menanders Perikeiromene. Philol. 69, 1910 p. 23; Koerte in edit. prior. (Lips. 1910) et altera.

(v. 224) τί δ' ἐστὶν ὃ κελεύεις ἐμοί; cum gravitate respondet ille (v. 225) ὀρθῶς ἐρωτᾷς νῦν· ἐγὼ δή σοί γ' ἐρῶ. Sed iam Sosia, ut est veritus, ne Pataeco, cui diffidit, auctore obsidione Polemo desistat, quo fiat, ut dolo ac fraude deceptus erus detrimentum faciat (cf. v. 217 sq.), ex inopinato ad Abrotonum puellam quandam se convertit intericitque (v. 226) Ἀβρότονον, ἐπισήμηνον. Quarta igitur persona hoc loco rebus interest agendis muliercula, quae et in iis, quae antecedunt, et in insequentibus fabulae scaenis, quas tenemus, non modo non introducitur, sed ne commemoratur quidem. Itaque quasnam egerit partes, e versibus 226—235 tantummodo ponderare licet. Nostrae vero quaestionis quasi cardo in eo versatur, utrum ipsam negotiis et colloquio se immiscere hic diiudicemus an mutam admodum esse cum Roberto (l. s. s. p. 266 sq.) aliisque [1], qui ad eius accedebant sententiam, ponamus. Ac primum quid sibi velit Sosiae illud Ἀβρότονον, ἐπισήμηνον [2], luculenter de Arnim enucleasse mihi videtur, cum profert haec (l. s. s. p. 5): Sosias, der ja von vornherein den Polemon vor Pataecus warnte, weil er voraussah, dass seine Einmischung zu einer ihm unsympathischen, sentimentalen Versöhnung führen werde, merkt jetzt, dass er beiseite geschoben werden soll, und fordert seine natürliche Bundesgenossin Abrotonon auf, ihre Willensmeinung kundzugeben, sich bemerklich zu machen. Etenim servum adisse mulierculam, ut se, qui adversariorum aedes oppugnaturus sit, in perimendis Pataeci, pacis auctoris, consiliis adiuvaret, vel e versibus 232 sqq. cognoscitur, quos plerique editores iure Sosiae, ut est spe deiectus, assignant. Pataecus vero, cum licentiam Sosiae indignetur, Polemonem servum procacem cum mancipiis dimittere iubet (v. 226 sq.): εἴσω τουτονὶ | πρῶτον ἀπόπεμψον τούς τε παῖδας οὓς ἄγει. Itaque dubium non est, quin qui hic de pace ac quiete cogitat Pataecus in iis versibus qui sequntur (228 sqq.) impugnatus sit. Sed quaeritur, utrum per duas personas, id est Sosiam, Pataeci adversarium, eiusque sociam ante invocatam, Abrotonum dico, versus dispertiamus an uni attribuamus Sosiae. Ne vero hoc cum Roberto (l. s. s. p. 267 sqq.) amplectamur, vel gravissimum illud

1) Gerhard l. s. s. p. 24 not. 42; Koerte in edit. alter., quem Graf (l. s. s. p. 60) secutus est.

2) Quod Robert (l. s. s. p. 267) interpretatur ἐπισήμηνον· τουτέστι ἐπίπαρδον, hoc perbene ad Aristophanem, minime vero ad Menandream quadrat elegantiam.

obstat, quod in versu 230 post vocem ἐξόλλυσιν et Cairensis et Lipsiensis charta puncta geminata [1], id est signum personae commutationis, exhibent, in codice Lipsiensi praeterea post κράτος (v. 229) exstat spatium [2], ubi vestigia punctorum viri docti detexisse sibi videntur legentes [3]. Sane Robert (l. s. s. p. 268) punctis ante οὐκ ἔσθ' ἡγεμών (v. 230) positis orationis intervallum significari ideoque quae offendant obrui censet. At neminem fugit, quam debili fundamento nitatur haec ratiocinatio. Nam si ponimus totam partem pronuntiasse Sosiam, e re ipsa patet servum pro irae ardore, quia nihil aliud Pataecus agat nisi ut eum depellat loco, verba edidisse neque pro animi concitatione respexisse artis pronuntiandi ullum intervallum. Nec magis huius ipsius scaenae cohaerentia nexuque Roberti probatur sententia. Etenim Polemonis illud [πρὸς τ]ῶν θεῶν, ἄνθρωπ', ἄπελθ' [4]) ad eam, quae ante locuta est, personam attinere luce est clarius. Quod dictum ad militis servum referendum esse Robert (l. s. s. p. 268 sq.) contendit, cum ratus sit militem hic auctoritati paruisse ipsius Pataeci, qui monuit v. 226 sq.: εἴσω τουτονὶ | πρῶτον ἀπόπεμψον τούς τε παῖδας οὓς ἄγει. Itaque quae sequuntur etiam verba usque ad versum 236 Sosiae abeunti dedit [5]. Sed cum cum famulis, quibus praeest, non reliquisse scaenam e versibus 276 sqq. satis superque cognoscimus. Nam ubi Polemo miles cum Pataeco discessit (v. 275), Moschio progreditur gregemque adversarii pellit sine proeliis ac negotiis (v. 276—281) [6]. Quapropter Roberti comprobare opiniones magis magisque prohibitus sum.

1) Quae Sudhaus Menandri papyris denuo examinatis dispexit (cf. edit. recent. not. ad v. 230). Quare adductus esse videtur, ut Abrotono et οὐκ ἔσθ' ἡγεμών (v. 230) et ἀπέρχομαι (v. 231) assignaret, etsi antea mulierculam illam κωφὸν πρόσωπον esse Roberto docenti magna voce astipulatus est (cf. Mus. Rhen. 64, 1909 p. 419 sqq. et p. 432; edit. prior. p. 46 sq.).

2) Spatium recte depinxit Koerte in edit. prior. p. 118.

3) Conferantur quae Koerte annotavit in edit. alter. ad v. 226.

4) Sudhaus haec verba Pataeco dat in edit. recent.

5) Profert Robert haec (l. s. s. p. 269): Der Sklave wendet sich mit dem Wort ἀπέρχομαι in der Tat zum Abgehen, sagt aber während des Abgehens zu Abrotonon, die er offenbar mit sich nimmt: „Schade, dass die Attacke aufgegeben ist. Du hättest dabei gewiss etwas ausgerichtet, denn zur Belagerungskunst mit ihren Finessen bist du wie gemacht. Ach tu nur nicht so. Ich weiss, dass du darauf Studium verwendest."

6) Moschionis verba (v. 276—281) primus Fr. Leo (Der neue

Supra commemoravi in scheda Lipsiensi intra versum 229 post vocem κράτος puncta verisimiliter exstitisse geminata: certe dispicitur spatium quoddam. Sed personae, quae loquitur, commutationem hic eo quoque perspicimus, quod antea, quicumque verba facit, in Pataecum quietis auctorem invehitur (v. 228 sq.: κακῶς διοικεῖς τὸν πόλεμον· διαλύεται, | [δ]έον λαβεῖν κατὰ κράτος), tum subito alter ad militem ipsum se convertit atque, cum insidiis Pataeci ac fallaciis exacerbatus sit, iam vociferatur: „Hic nempe Pataecus penitus me pessum dat“ (v. 229 sq.: οὑτοσί με γὰρ | [ὁ Πάτ]αικος ἐξόλλυσιν). Quae quin Sosia servus effuderit, dubitare non licet. Nam ipsum hunc Pataecus loco movere molitur (cf. v. 219 sq., v. 226 sq.). Quae ergo et antecedunt et sequuntur, alteri Pataeci adversario, id est Abrotono servi sociae, attribuenda esse liquet, ut non iam in medio relinquatur, qualis sit nexus huius loci, de quo valde ambigunt critici.

A Sosia incitata (v. 226 ᾿Αβρότονον, ἐπισήμηνον) Abrotonum Pataeco, quippe qui ut Sosia eiusque dimittantur copiae moneat (v. 226 sq.), audet obloqui (v. 228 sq.):

κακῶς διοικεῖς τὸν πόλεμον· διαλύεται,
δ]έον λαβεῖν κατὰ κράτος.

Quibusnam astutiis meretrix hic arrogantiam militis ac contumaciam stimulare studeat, nemo non intelleget. Cum vero ad Polemonem Sosia se convertat intericiatque (v. 229 sq.): οὑτοσί με γὰρ | [ὁ Πάτ]αικος ἐξόλλυσιν, Abrotonum quoque militi instat ipsi, ne Pataeco duce rem gerat (v. 230): „Rei militaris est ignarus, imperitissimus vero tuendi exercitus regendique“. Hisce verbis (οὐκ ἔσθ᾿ ἡγεμών) nihil nisi illud confirmatur, quod antea Pataeco ipsi exprobravit muliercula (v. 228 κακῶς διοικεῖς τὸν πόλεμον). Itaque vel e fabulandi

Menander. Herm. 43, 1908 p. 156 sq.) recte interpretatus est sic: Die Kerle, die uns die Glycera aus dem Hause holen sollen, sind nicht Mannes genug, ein Schwalbennest auszunehmen. Aber Daos sagt, sie hätten da Söldner zur Verfügung: die berühmten ξένοι sind der eine Sosias hier. -- Sosias . . . ist der einzige, der nicht vor Moschion davongelaufen ist. Robert quidem sibi constans (p. 278), quem nescio quo pacto Sudhaus (in edit. alter. not. ad v. 276) secutus est, Moschionem, qui hic prodit, servos suos alloqui arbitratur; at nusquam audimus militis aemulum copias coegisse ad aedes defendendas, contra Polemonis satellitum satis saepe mentio fit v. 202 sq., 218, 227, ut vel inde cognoscatur hunc quoque locum ad militis mancipia attinere.

ratione, quo modo versus sint dispertiendi inter Pataeci adversarios, significanter apparet. At miles Abrotono acriter agente non modo non exoratur, sed etiam meretricem, ut cuius impudentia nihil molestius graviusque ferat, discedere iubet (v. 231): [πρὸς τ]ῶν θεῶν, ἄνθρωπ᾿, ἄπελθ᾿ [1]). Quare cum sese nihil gratia valere intellegat, Abrotonum statim scaenam parat relinquere neque respondet iam quicquam nisi ἀπέρχομαι (v. 231). In papyro Cairensi post ἀπέρχομαι puncta geminata se dispexisse Lefebvre [2]) contendit, de punctis dubitat quidem Jensen [3]), sed ex argumento ipso intellegitur eos qui sequuntur versus (232—235) Sosiae esse attribuendos. Ipse enim antea Abrotonum adiit, ut Pataeci, qui turbas sedare vellet, perimeret consilia; nunc vero, cum spem abiecerit, ad abeuntem se convertit mulierculam (v. 232: ᾤμην] σε ποιήσειν τι . . . .), quia etsi nihil iam perfecerit, amicos deserat et derelinquat, obscaenos simul sermones addit de artibus meretriciis (v. 234 sq.).

Ut igitur breviter repetamus, quaenam personarum distributio nostra indagatione sit effecta, totam partem placet exscribere [4]):

(Πα.) πε]ίσθητί μοι. (Πο.) τί δ᾿ ἐστὶν ὃ κελεύεις ἐμοί;
(Πα.) ὀρθῶς ἐρωτᾶις νῦν· ἐγὼ δή σοί γ᾿ ἐρῶ.
(Cω.) ᾿Αβρότονον, ἐπισήμηνον· (Πα.) εἴσω τουτονί
πρῶτον ἀπόπεμψον τούς τε παῖδας οὓς ἄγει.
(᾿Αβρ.) κακῶς διοικεῖς τὸν πόλεμον, διαλύεται,
δ]έον λαβεῖν κατὰ κράτος. (Cω.) οὑτοσί με γάρ
ὁ Πάτ]αικος ἐξόλλυσιν. (᾿Αβρ.) οὐκ ἔσθ᾿ ἡγεμών.
(Πο.). πρὸς τ]ῶν θεῶν, ἄνθρωπ᾿, ἄπελθ᾿. (᾿Αβρ.) ἀπέρχομαι.
(Cω.) ᾤμην] σε ποιήσειν τι· καὶ γὰρ, ᾿Αβρότονον,
ἔχεις] τι πρὸς πολιορκίαν σὺ χρήσιμον

1) In Samia Demeas similiter in Chrysidem invehitur (v. 173 sq.): κατάξω τὴν κεφαλὴν, ἄνθρωπέ, σου, | ἄν μοι διαλέγῃ. cf. Sam. v. 133: χαμαιτύπη δ᾿ ἄνθρωπος.

2) Cf. Koerte edit. prior. p. 118; edit. alter. ad v. 231.

3) Christian Jensen: De Menandri codice Cairensi. Lectiones novae et coniectanea. Mus. Rhen. 65, 1910 p. 575 not. ad v. 231.

4) Quam eodem modo dispertivit de Arnim (l. s. s. p. 4) exceptis versibus 232—235, quos Polemoni militi attribuit. Sudhaus autem in editione altera eo discrepat, quod versus 228 sqq. κακῶς . . . ἐξόλλυσιν uni Sosiae dedit atque illud πρὸς τῶν θεῶν, ἄνθρωπ᾿, ἄπελθ᾿ Pataeco vindicavit.

δύνασ]αι τ' ἀναβαίνειν, περικαθῆσθαι. ποῖ στρέφει,
λαι]κάστρι'; ᾐσχύνθης; μέλει τούτων τί σοι; —

Abrotoni partes utrum graviores fuerint necne, cum scaenae initium servatum non sit, diiudicare nequimus. Quamquam apparere iam censeo, quid valeat, quod Graf, cum argumenta silentio sane ex illa lege Horatiana ad tragoediam referenda perperam petat, statuit haec (p. 60): Aber sie (Abrotonum) ist hier nur die typische Flötenspielerin und hat deshalb nicht mehr Bedeutung als ein gewöhnlicher Sklave. Reden darf sie natürlich auch aus dem Grunde nicht, weil sie mit drei redenden Personen (Pataikos, Polemon, Sosias) zugleich auf der Bühne ist. Contra hic re vera personas easque quae confabulantur quattuor rebus interfuisse agendis iis, quae expedivimus, confirmatum esse arbitror. Sed pergamus, ubi substitimus.

Postquam Abrotonum devenit (ad v. 235), cum famulis paulum secedit servus; miles autem non modo Pataeco suadente vi atque obsidione desistit, sed etiam illum obsecrat, ut precibus sibi Glycerae gratiam animumque reconciliet. Denique domum digreditur secumque ducit Pataecum, cum ei splendidissima vestimenta Glycerae eiusque ornatum ostendere velit (v. 236—275). Ut primum remoti sunt, domo procedit Moschio, cuius adventu perterriti militis mancipia praeter unum Sosiam se recipere properant (v. 276—281). Hoc quoque loco evidenter cognoscitur tres histriones non suffecisse ad res agendas. Etenim Moschionem continuo post Pataecum et Polemonem digressos processisse in conspectum ex ipso argumento patet, neque quisquam est qui neget. Mutandae igitur personae nec tempus est nec copia. Sosiam vero servum in scaena remansisse supra diserte exposuimus. Quapropter admirari satis non possum, quod Graf in hac rerum continuatione omnino non haesit, sed scaenarum cohaerentia nimis neglecta et Sosiae et Moschionis partes uni eidemque attribuit histrioni (l. s. s. p. 47).

Adversarios ubi pepulit, quid sibi intus evenerit, Moschio multis enarrat (v. 282—300). Sed iterum hiat lacuna non minus 160 versuum, ut de exitu huius quoque fabulae partis divinare tantummodo liceat.

Qui sequuntur versus (v. 301 sqq.) reliquias praebent eius scaenae, quam Graeco vocabulo ἀναγνωρισμόν nominamus. Ac primo Pataecus cum Glycera confabulatur, quam Polemoni reconciliare studet. Tum vero, ubi fortasse mentio facta

est Glyceram originis esse liberae — desunt enim post v. 318 versus fere sedecim —, Doris ancilla arcessitur Pataeco auctore (v. 331 sqq.), ut crepundia, quae illius rei praesto sint testimonio, apportet in cistella servata. Quae mandata postquam exsecuta est, Doris iterum discedit, sed paulo post Moschio furtim progreditur (ad v. 344) et, dum Glycera cum Pataeco inspicit ornamenta, astat quaeque fiunt verba auscultat [1]). Dum vero sermone procedente Glycera a patre agnoscitur, Moschio ipse magis magisque sibi persuadet se quoque Pataeci esse filium, summo denique animi motu affectus proruit (cf. v. 397), ut sciscitando de origine sua certior fiat. Etsi scaenae fragmenta hic deficiunt — interciderunt enim vix minus 100 versus —, tamen sine dubio ἀναγνωρισμός ita consummatur, ut Moschio Glycerae inveniatur frater.

Restat, ut de fabulae exitu, quantus servatus est, iam disseramus. In scaena cum Polemone agit Doris ancilla v. 398 sqq. Miles, cum quaenam casu evenerint, certior factus sit, diffidit desperatque suis rebus. At Doris non modo illi persuadere conatur Glyceram redituram esse, si in posterum honores ei velit habere ac praestare, sed etiam ut expediat res ad eram ipsa properat (ad v. 405). Solus qui remanet Polemo vehementer agitatur iniuriarum ac facinoris paenitentia, sed paulo post, cum Glyceram vere reversuram esse Doris renuntiet (v. 412), gaudiis elatus dis sacrificium parare vult; vix autem Pataecum quoque, Glycerae patrem, audiebat adfore, cum domum introire festinat (v. 425). Paucis tantummodo verbis factis etiam ancilla, ut negotia intus curet, illum sequitur (v. 427). Ubi primum digressa est, una cum filia, quam agnovit, procedit Pataecus (v. 428). Qui Polemonem arcessi iubet (v. 431) eique despondet Glyceram, quantum dotis sit daturus, in pactione nuptiali facienda adicit (v. 434—437). Sacrificiis autem perpetrandis ne intersit, Pataecus recusat quia Moschioni, quem invenit filium, Philini natam in matrimonium sit petiturus v. 446 sqq.:

(Πα.) ἑτέρους ζη[τητέον]
ἐστὶν γάμους μοι· τῷ γὰρ υἱῷ λαμβά[νω
τὴν τοῦ Φιλίνου θυγατέρ'.

1) Moschionem totam fere per scaenam aversum, ut ita dicam, loqui primus intellexit de Arnim (l. s. s. 8 sqq.). At solus introducitur, nec vero Davo comitante, quod ille arbitratur; nam nihil hic Davo negotii est.

Verba, quae sequuntur, v. 448 ὦ Γῆ [καὶ θεοί] Polemoni alii, alii Glycerae assignant. Quam exclamationem mihi quidem Capps[1]), cuius sententiam Kelley-Rees[2]) quoque defendit, multo aptius Moschioni videtur attribuere; putavit enim hoc etiam loco (sicut antea v. 344 sqq.) Moschionem, qui a nulla conspectus sit persona, auscultasse, quaenam agerentur res, tum vero, ut primum sese Philini filiam uxorem ducturum esse comperisset, prosiluisse verbaque illa edidisse. Neque vero dubium est, quin maxime conveniat cum arte Menandrea, si hunc quoque nodum Moschione ipso ad fabulae exitum praesente expeditum esse ponimus. Sed hac de re nihil nisi opiniones afferre licet, quoniam comoediae ultimi versus desunt, neque ulla ex parte possunt duci argumenta satis valida. Quamquam et aliud obstat, quominus hac in scaena non plus tres histriones ad res agendas necessarios fuisse statuamus. Iam enim Wilamowitz[3]) acute perspexit Pataecum atque Glyceram, qui ad versum 428 progrediuntur, et Polemonem ad v. 425 digressum et Doridem, quae ad versum 427 abit, tam exiguo sequi intervallo, ut mutandae quavis ratione personae tempus nequiverit intercedere. Hac in difficultate tollenda Graf quoque (l. s. s. p. 45 sq.) angustiis premitur. Qui postquam subsidia petivit, ut quae offendant labefaciat, iam de spatio, cum nihil aliud in promptu sit, cogitat inter versus 427 et 428 intermisso, ut idem histrio, qui antea Doridis partes egerit, Glyceram possit induere. At neminem fugit intervallo hic posito totius argumenti nexum dirui. Etenim ancilla et Polemonem docuit Pataecum cum filia iam iam egressurum esse (cf. v. 424 καὶ μὴν ἔμελλεν ἐξιέναι δ[εῦρ' ὅ τε πατήρ])[4]), et ipsa dum discedit fores concrepare pronuntiat (v. 426)[5]), ut

---

1) Cf. edit. supra commemorat. not. ad v. 907 (448).

2) L. s. s. p. 296.

3) Scribit enim in commentatione: Der Menander von Kairo (Neue Jahrb. für das klass. Altert. 21, 1908 p. 60) haec: Die Schauspielerzahl (bei Menander) war zwar schwerlich auf drei beschränkt; . . . . die Umkostümierung in der letzten Szene der Perikeiromene würde schlecht gehen. Confer quae de hac re exposuerunt et Legrand (Daos p. 368) et Kelley-Rees (l. s. s. p. 297).

4) Versum sic explevit Sudhaus in editione altera.

5) Optimo iure omnes quantum video editores post vocem θ[ύ]ραν suppleverunt vocabulum ψοφεῖν vel eiusdem formam ψοφεῖ. Nam hoc modo personas indici progressuras in conspectum sescenties invenimus. Exempla Menandri ipsius collegit Graf (l. s. s. p. 55 sq.) Plauti autem Terentiique A. Kretschmar in dissertatione: De Menandri reliquiis nuper repertis. Lips. 1906 p. 98 sq.; cf. W. Koch: De Personarum comicarum introductione. Diss. Vratislav. 1914 p. 16 sqq.

de Glycera et Pataeco, quin post Doridis discessum continuo introducti sint, dubitari non possit. Itaque hoc etiam loco vestigia exstant, quibus satis apertum fit ad Circumtonsam peragendam haud satis fuisse minus quattuor histriones[1]). Neque vero Graf, cuius licet de tribus Disceptantium Samiaeque actoribus, quatenus e reliquiis patet, iudicio facto assentiamur, re audacius pertractata satis caute haec statuit (l. s. s. p. 49): Mir genügte es hier zu zeigen, dass sich die theoretische Forderung des Horaz und seines Kommentators[2]), die doch sicher auf griechische Gewährsmänner zurückgeht, mit der Praxis Menanders nach Ausweis der Papyri verträgt. Profecto quam perverse et alii viri docti et Graf Horatianum illud (de art. poet. v. 192) „nec quarta loqui persona laboret", quod ad Graecorum tragoediam spectat, cum Menandrea arte plane congruere contenderint, infra clarius apparebit; nam Menandrum et tres et quattuor quin immo quinque adhibuisse histri-

---

1) Singulas huius fabulae partes inter actores singulos certa ratione pro reliquiis exiguis distribuere nequimus. Nescio an personae sint dispertiendae sic:

	I.		II.		III.		IV.
1— 51 52— 70	Ἄγνοια —	1— 51 61— 70	— Doris	1— 51 52— 70	— Sosia	1— 51 52— 70	— —
desunt versus fere 70							
71— 76	Davus	71— 76	[Doris]	71— 76	[Glycera]	71— 76	[Myrrina]
ΧΟΡΟΥ							
77—163 164—216	Davus —	77—162 170—216	Moschio Doris	77—163 164—216	— Sosia	77—163 183—206	— Ostiarius
desunt versus fere 60							
217—275 276—300	Pataecus —	217—235 276—300	Abrotonum Moschio	217—281	Sosia	217—275 276—300	Polemo —
desunt longe plus 100 versus							
301—397	Pataecus	331 sqq. *post 337 desunt versus fere 7* 344—397	Doris Moschio	301—397	Glycera	301—397	—
desunt versus vix minus 100							
398—427 428—448	— Pataecus	398—427 448	Doris [Moschio?]	398—427 428—448	— Glycera	398—425 432—448	Polemo Polemo

2) Porphyrio annotat ad Horat. epist. de art. poet. v. 192: „si tamen quarta interponitur (persona), non loqui debet, sed adnuere statimque dimitti."

ones investigatione hac spero evictum iri. Qua in re absolvenda quanam via progrediendum esset, idem Graf monuit, cum in fabulas Terentianas inquirendum esse docuit ita tamen, ut singularum scaenarum partibus, quaecumque pro contaminandi ratione insertae essent, disiunctis nexus atque compositio ipsius Menandri exemplarium Graecorum patefiant [1]). Sed antequam ad quaestionem ab illo relictam accedimus, iam de fabulis, in quibus Plautus Menandrum vertit atque expressit, de Sticho Cistellaria Bacchidibus agamus oportet, quandoquidem inde argumenta haud leviora ad firmum fundamentum ponendum erui possunt.

Caput IV.

Quid ex palliatae fabulae exemplaribus Menandreis ad definiendum actorum numerum eruatur.

§ 1. De Plauti fabulis.

De Sticho.

De Sticho Plautina difficile est diiudicatu. Etenim fabulae compositio tot aenigmata videtur exhibere, ut in iis solvendis viri docti fere desperaverint. Controversiae sane de exemplaris Graeci nomine olim ortae, iam dudum abhinc diremptae sunt Friderico Schoell auctore, qui didascaliae verba „Graeca Adelphoe Menandru“ non corrupta esse certissime demonstravit [2]). Quapropter de his longius disserere non iam

1) Graf exponit haec (p. 49): Absichtlich habe ich mich im Vorstehenden ganz auf Menander beschränkt und die unleugbar abweichende Praxis der Römer nicht beachtet. Da in der Zeit des Plautus und Terenz die römischen Schauspieler keine Masken trugen, war eine so schnelle Umwandlung ihrer äusseren Erscheinung, wie sie die attischen Bühnenverhältnisse gestatteten, unmöglich. Die römischen Dichter gebrauchten also auch bei engem Anschluss an das attische Original mehr Schauspieler als Menander. Standen aber einmal mehr Schauspieler zur Verfügung, so war jederzeit auch die Möglichkeit gegeben, einen vierten Schauspieler an Szenen teilnehmen zu lassen, die bei Menander von drei Schauspielern gegeben wurden. Wieweit sich das durch eine Analyse der Terenzischen Vierschauspielerszenen wahrscheinlich machen lässt, bedarf einer besonderen Untersuchung.

2) Duas enim Menandrum composuisse fabulas, quarum utrique nomen Ἀδελφοί esset, Schoell enucleavit (in annal. Fleckeis. 119, 1879 p. 44 sqq.) usus scholio ad Platonis Phaedrum 279 C: κοινὰ τὰ τῶν φίλων. καὶ Μένανδρος ἐν Ἀδελφοῖς β' (cf. Bekker comment. in Plat. II p. 319). Verba commemorata reperiuntur apud Terentium in Adelph. v. 804 „communia esse amicorum inter se omnia“. Plautus igitur priorem Menandri fabularum vertit, Ἀδελφοὺς α' dico. Neque intelligo, cur Br. Prehn (Quaest. Plaut. Diss. Vratislav. 1916 p. 51 not. 1 cf. p. 61) statuerit: „Stichus = Ἀδελφοὶ β'“.

opus est. At facile quispiam in ipsa Sticho ut nulla arte composita offendat talemque fabulam e Menandro fluxisse neget. Itaque primo in Stichi compositionem accuratius inquiramus necesse est, quoniam cum hac quaestione actorum numerus artissime cohaeret. Exordiamur igitur ab argumento enarrando, quod „leve et futile“ esse Camerarius suo iure statuit.

Duae sorores amore fideli prosequuntur maritos absentes — duos fratres —, qui rei familiaris angustiis oppressi triennium abhinc iam profecti sunt. Quos ne repudient, uxores relictae obsistunt patri quamvis acriter instanti cum filias denuo nuptum studeat collocare. Iam vero ipsi revertuntur mariti divitiis et opibus onusti animumque soceri sibi reconciliant, ita ut omnes laetitia efferantur summam ob felicitatem. Parasiti defessi fameque defatigati persona comicae praecipue artis gratia immixta est. Cuius scurrae ab omnibus illusi partes spectatorum cachinnos excutiunt. Fabulae finis nihil praebet nisi embolium illud scurrile servorum, qui potationibus saltationibusque cinaedicis una cum amica communi diem festum incolumis agunt reditus. Itaque si tecum reputas, quonam nodo argumentum contineatur aut ad quemnam finem res agendae processerint, iam haerebis neque quicquam invenies, quod singulari ratione aut implicatum aut expeditum sit. Fabulae nexus omni caret opere atque artificio; alia iuxta aliam ponitur scaena, permulta eo tantum inserta sunt, ut spectantes inde oblectationem capiant; laxissimo vinculo singulae partes ad unum astringuntur. Compositio huius tam levi nodo vinctae conexaeque fabulae criticorum diversas atque adeo contrarias movit suspiciones. Alii posuerunt Stichum Plautinam haud integram sed magna ex parte lacunosam diem tulisse, alii fabulam ab iis, qui eam iterum iterumque docebant, valde immutatam atque retractatam esse: quo factum esse, ut ipsius Plauti reliquias tantum exiles teneremus; alii contra rati sunt Plautum ipsum e Menandreo exemplari nonnullas tantum partes hausisse atque ad eam quae exstet fabula conglutinasse [1]). Quae

1) Singula hic afferre haud libet. De quibus obiter disseruit M. Schanz in hist. litt. Rom. I 1³, 1907 p. 91.

sententiae ad unam omnes evanuerunt neque ulla adeo invereteravit, quae etiam hodie cuiquam probetur. At opinionibus his evulsis novas qui de Sticho contaminata cogitant inseruerunt viri docti. In hoc numero Fridericus Leo princeps e tribus Graecis exemplaribus a Plauto conflatam esse Stichum contendit, ita tamen, ut nisi exordium fabulae, ubi duarum sororum patri obsistentium depingatur amor atque fides, nihil Menandri poesin exhibere statuat, omnes autem scaenas, quae cum parasiti cohaereant partibus, ex altera cuiusdam poetae fluxisse comoedia argumenti quidem non ita dissimilis, quo fuerit principalis Menandrea; exitum denique cum artificiis prorsus scurrilibus tertii nesciocuius exemplaris Graeci esse [1]).

Ac primum argumenta, quibus Leo mediam Stichum cum parasiti partibus e Menandreo exemplari haud translatam esse affirmare studuit, cui opinioni praeter Theophanem Kakridis [2]) atque, dubitanter quidem, Guilelmum Kroll [3]) nemo quantum video astipulatus est, novissime et W. Schwering [4]) et Bruno Prehn [5])

---

1) Cf. Nachr. Gött. Ges. d. Wiss. 1902 phil.-hist. Kl. p. 375 sqq. Eandem quaestionem Leo tractavit in libro, qui inscribitur Plautinische Forschungen, Berol.¹ 1895 p. 152 = ²1912 p. 168. Postremum de Stichi compositione egit in hist. litt. Rom. Berol. 1913 p. 128 sq., ubi haec profert (p. 129): Dieses Stück, in dem weder eine Handlung durchgeführt noch beliebige Teile einer Handlung durch die Einheit der Personen zusammengehalten sind, ist kein menandrisches Stück und überhaupt kein Stück der attischen Komödie. Aber alle drei Teile sind attisch, die Exposition, die Parasitenszenen, das Gelage. Es kann kein Zweifel sein, dass die Exposition von Menander ist. Mit dieser ist der Parasit, der im zweiten Teile die Hauptfigur ist, in seiner Verbindung mit den Brüdern aus einer andern Komödie genommen, nur äusserlich durch eigne Zutaten von Plautus verbunden. Dieser zweite Akt ist wiederum durch eine eingefügte Szene mit dem Schlussgelage verbunden, das weder dem ersten noch dem zweiten Teile zugehört und wahrscheinlich aus einer älteren Komödie stammt, deren Art wir durch den Persa kennen lernen. Nec vero iniuria Schanz de hac Plauti contaminandi ratione, qualem sibi excogitat Leo, sic iudicat (Hist. litt. Rom. I 1³ p. 91): Es ist schwer, sich diese Compositionsweise des Plautus als wahrscheinlich vorzustellen.

2) Kakridis: Barbara Plautina. Athen 1904 p. 28 sq.

3) Teuffel-Kroll in hist. litt. Rom. (Berol. 1916) I p. 177 haec scribit: Kontamination ist sicher und nur fraglich, ob zwei oder drei Stücke verarbeitet sind.

4) Schwering: Die sogenannte Kontamination in der lateinischen Komödie. Neue Jahrb. 37, 1916 I. Abt. p. 184 sq.

5) Prehn: Quaestiones Plautinae. Diss. Vratislav. 1916 p. 53 sqq.

et H. Prescott [1]) et ipse P. J. Enk [2]), etsi hic Stichi finem a Menandro abiudicat, tam funditus labefecerunt diluerunt que, ut de quaestione adeo profligata amplius disputare supersedere iam possimus. Quod vero idem Leo ad sententias suas confirmandas id ut gravissimum perhibet, quod res agendae ineunte fabula, quam solam Menandri esse censet, uberrime explicatae omnino non processerint [3]), cum alii tum Prescott [4]) atque Prehn [5]) rectissime monuerunt pro argumento primis

---

1) Prescott: The interpretation of Roman comedy. Classical Philology 11, 1916 p. 125 sqq.

2) Enk: De Stichi Plautinae compositione. Mnemos. 44, 1917 p. 24 sqq.

3) Explicat haec (Nachr. Gött. Ges. 1902 p. 376): Die Teile (des Stichus) sind sehr hübsch, das Ganze unmöglich: so dichtet kein attischer Dramatiker. Die Exposition entwickelt breit und liebevoll die Charaktere der Schwestern in ihrem Verhältnis gegeneinander, im Verkehr mit dem Vater, die Art des Alten selbst, die ganze Situation, die auf die Rückkehr der Männer zugespitzt ist. Die Männer kehren zurück, die Frauen sind verschwunden, der Konflikt zwischen Schwiegervater und Schwiegersöhnen ist gelöst, ehe diese auftreten; es bleibt bei der Vorbereitung einer Handlung ....

4) Prescott suo iure contradicit haec (l. s. s. p. 138): The reason for the existence of these two inorganic rôles — Gelasimus and Stichus — (and the weakness, consequently, of Leo's entire theory that three Greek plays furnished the three chapters of the Stichus) is immediately apparent just so soon as we put ourselves in the place of a playwright who had devised the broad exposition of the first two scenes (vss. 1—154) as a complete introduction of a Greek play. Leo ... is absolutely unable to think out to the end the Greek play from which came the Menandrian exposition of the Stichus. Can there be any other conclusion, unless Menander's imagination was more fertile than Leo's, than that Menander himself, having constructed the exposition which we find in the Stichus, would be forced to develop inorganic characters and a relatively inorganic play as the result of such an exposition?

5) Prehn haec scribit l. s. s p 57 sq.: „At si requiramus, quomodo actio Menandrea in fabula processerit, iam haeremus neque certi quicquam efficimus. Sed coniciat quispiam, quod facile invenitur, litem illam, quam intendit pater in filias generosque, poetam plurimis verbis persecutum esse. Attamen eam non fuisse fabulae argumentum luculenter erui potest. Ut sc. I 1; I 2 repraesentatur senis ingenium, poetam spectatoribus iustam rixam non probaturum fuisse apparet .... ἐνεργητικός, ut ita dicam, non est senex; filiae, praecipue maior natu, hac virtute longe ei praestant. Et, etsi materia rixarum excitandarum adsit, tamen senex non is est, qui pervincat aliosque cogat sibi obsequi. Quotiens filiarum animum flectere conabitur, similiter naufragium quasi faciet. Generis vero

scaenis exposito nequaquam excogitari posse, quonam nodo turbae implicandae fuerint, praesertim cum indoles admodum infirma mollisque, qua pater praeditus pingitur, apta non sit, unde lis vehementissima oriatur.

Sed in Sticho Plautina alia cernuntur vestigia expressa, quae a criticis neglecta esse miror, quibus et totius fabulae compositio erumpit atque illustratur et integram fabulam e Menandro fluxisse maxime comprobatur. Numerum dico histrionum. Res enim ratione et consilio ita esse institutas, ut omnes partes a tribus actoribus possent suscipi, perfacile tibi persuadebis. Nam ne longius exponam nullo videlicet loco plus tres personas simul confabulari, id praecipue offendit, quod duae sorores, quas initio maritis absentibus sollicitas poeta depinxit, cum reversis viris omnino non in conspectum introducuntur neque ipsae felici eorum reditu gaudentes spectantur. Optimo iure Fridericus Schmidt [1]) iam monuit, quam pulchram praeclaramque in Sticho poeta inserere potuerit scaenam, si cum maritis reducibus duas uxores convenientes fecisset. Sed idem Schmidt quaestionem, qua in solvenda satis multi viri docti haeserunt, sine dubio recte diiudicavit, cum docuit iisdem histrionibus et sororum et coniugum esse agendas partes [2]). Neque Fridericum Leo hic fugit nexus. Verumtamen is rationem personas introducendi illam non modo non ad Menandri rettulit artem, sed etiam inde mirum in modum coniecit apparere, cur Plautus fabulam singulari ut ita dicam arte contaminaverit. Profert enim haec [3]): Vielleicht führt eine andere Beobachtung auch darauf, eine besondere Veranlassung dafür anzunehmen, dass Plautus dem Stücke eine solche Gestalt gab. Der Stichus ist vielleicht die einzige seiner Komödien, die wirklich von drei Schauspielern gespielt werden

---

eum imparem esse, cum ne filias quidem suam ad sententiam perducere possit, quis est, qui neget?"

1) Schmidt: Über die Zahl der Schauspieler bei Plautus und Terenz. Erlangen 1870 p. 9.

2) Scripsit enim Schmidt ibidem: So kann Plautus im Stichus die zwei Frauen, Philumena (Panegyris) und Pamphila, nur am Anfange des Stückes auftreten lassen und muss ihnen, wie den Zuschauern, die Freude über die Rückkehr ihrer Ehemänner auf der Bühne entziehen. Und warum dies? Er braucht dieselben zwei Schauspieler zur Darstellung der erst im zweiten Akte auftretenden beiden Männer.

3) Nachr. Gött. Ges. 1902 p. 391.

kann . . . . . Man muss annehmen, dass Plautus das Stück für einen virtuosen Charakterspieler schrieb, der die Rollen des Antiphon und des Gelasimus zugleich übernehmen konnte. Es wird Pellio gewesen sein. So spürt man an dieser Arbeit des Plautus etwas von den momentanen Forderungen und Anregungen des Theaters; das heisst von dem Element, das uns am meisten Lebendiges lehren würde, wenn wir etwas Direktes darüber erfahren könnten. Leonis verba consulto exscripsi. Ipse enim opiniones suas hic redarguit. Nam apud Romanos praecipue Plauti temporibus res scaenicae haud perinde se habebant atque apud Graecos. Ut gravissimum quoddam in memoriam revocem, Plauto vivo atque vigente actores nondum personati prodibant in conspectum. Testimoniis [1]) enim satis constat e Terentii aetate aut, quod verisimilius, Roscio histrione demum auctore invaluisse personarum usum. Qui quanto opere in ornatu mutando histriones adiuverit, satis perspicuum est. Itaque cum Plauti certe temporibus actores larvis scaenicis, quae imprimis idoneae aptaeque erant alium atque alium habitum festinanter sumentibus, carerent, earum autem loco galearibus e sexu graduque aetatis uterentur diversissimi coloris et alia, ne personarum indoles ac naturae inter se confunderentur, subsidia peterent — velut nostrates pigmentis quibusdam impositis aut abstersis lineamenta oris varie exprimebant [2]) —, facillime perspicies pro condicione scaenica illa non modo Stichum fabulam a tribus histrionibus non dari, sed ne Antiphonis et Gelasimi quidem partes ab uno protagonista potuisse suscipi. Etenim ut alia omittam, eum potissimum locum in discrimen vocare liceat, quo res omnibus confici numeris certissimum est. Qui ad versum 569 abit Antipho, Pamphilippum atque Epignomum generos in scaena relinquit. At vixdum socer digressus erat, cum illius vice Gelasimus in conspectum procedit fratribusque intervenit

---

1) Donat. de comoed. VI 3 (Wessner. Comment. Terent. I p. 26): „Personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius Faliscus, tragoediam Minucius Prothymus." Diomed. (GL Keil I p. 489, 10 sqq.): „Antea itaque galearibus, non personis utebantur, ut qualitas coloris indicium faceret aetatis, cum essent aut albi aut nigri aut rufi. personis vero uti primus coepit Roscius Gallus, praecipuus histrio, quod oculis perversis erat (cf. Cic. nat. deor. I 79), nec satis decorus sine (codices habent „in") personis nisi parasitus pronuntiabat." Cf. Dziatzko-Hauler in Phorm. edit. (Lips. 1913) praef. p. 41 et Teuffel-Kroll in hist. litt. Rom. p. 31 not. 13.

2) Cf. Dziatzko-Hauler in Phorm. edit. praef. p. 41.

colloquentibus v. 577 (cf. Epignomi verba: „Atque eccum tibi lupum in sermone: praesens esuriens adest"). Quin igitur spatio tam exiguo interposito ille histrio, si non personatus agebat, qui ante senis sustinuit partes, alium, id est parasitum, acturus prodire nequiverit, nemo vocabit in dubium. An quisquam putat temporis intervallum suffecisse cum ad galear tum ad oris habitum nescio qua ratione mutandum? Minime credo. Quid insanius atque magis ridiculum illa opinione! Ornatus scaenici commutatio tam velox personarum tantummodo usu poterat perfici, quippe quibus non solum os, sed etiam caput undique esset coopertum, ut neque in galearibus recte induendis tempus tereretur neque pigmentis ora tum illinenda actoribus essent, cum alias suscipiebant partes. Quapropter contendere cogor Plautum et Antiphonem et Gelasimum peculiaribus attribuisse histrionibus[1]). Praeterea nihil omnino excogitari potest, cur poeta Latinus, etiamsi parasiti socerique partes ita ipse instituisset, quae ab eodem protagonista agerentur, tamen nullo loco una cum maritis uxores introducturus, sed id etiam fuerit observaturus, ne plus tribus histrionibus ad Stichum opus esset docendam. Nulla enim testimonia exstant, nulla in ipsis fabulis inveniuntur vestigia, quae palliatae actorum numerum ad certum aliquem modum umquam redactum esse probent. Immo vero contrarium fabularum indiciis evincitur ita, ut ad unum omnes viri docti palliatae poetas in actoribus adhibendis Graecorum vinculis prorsus non fuisse coercitos consentiant. Neque Fridericus Schmidt, cum histrionum numerum ex ipsis fabulis Plautinis Terentianisque quam parcissimum eruere studeret, facere potuit, quin una Cistellaria excepta, de qua infra disseremus, nonnumquam quattuor, plerumque vero quinque aut sex, modo etiam septem et octo necessarios fuisse statueret[2]). Quodsi igitur Plautus in aliis fabulis maiore actorum numero usus est, quidni, cum haud minus sex ei praesto essent histriones eique bene instituti, ad reliquas quoque fabulas docendas eos asciscere potuit? Cum vero Terentium fabulas ea maxime de causa contaminasse liqueat, ut personis

1) Suo iure Graf (l. s. s. p. 49) contendit: Da in der Zeit des Plautus und Terenz die römischen Schauspieler keine Masken trugen, war eine so schnelle Umwandlung ihrer äusseren Erscheinung, wie sie die attischen Bühnenverhältnisse gestatteten, unmöglich. Die römischen Dichter gebrauchten also auch bei engem Anschluss an das attische Original mehr Schauspieler als Menander.

2) Summam indagationis Schmidt breviter repetivit in fine opusculi p. 55 sqq.

magnopere auctis iam plures histriones induceret in conspectum itaque praecellentem et peritum rei scaenicae se praestaret[1]), ipse diiudices quaeso, num per se probabile sit Plautum Stichi fabulam e duobus vel etiam tribus conflasse exemplaribus Graecis atque sedulo ita instituisse res, ut non solum Antiphonis et Gelasimi partes unus protagonista ageret, sed etiam omnes personae a tribus susciperentur actoribus, quamquam Stichus quinque vel sex actorum opera poterat dari? De tali sententia talibus argumentis fundata quid sit statuendum apparet. Res ipsa clamitat. At longe aliena νέας temporum erat condicio. Qua aetate Dionysiacorum artificum viguisse collegia haud pauca, quorum greges e tribus tantummodo histrionibus constabant, titulis ante allatis evidenter patefit. Vides ergo in Plautum minime, perbene autem in ipsum Menandrum quadrare fabulam ratione et consilio sic compositam, quae a trium histrionum grege potuerit agi.

Iam vero intellegitur, quam irrita opinione nisus W. S. Teuffel[2]), cui et alii et ipse Schanz[3]), nuperrime Enk[4]) quoque assensi sunt, contenderit exemplar Menandreum exisse in convivium hilare, cui non servi, sed eri ipsi reduces cum uxoribus fidelissimis interessent. Talia autem pro numero atque

1) Huc spectant Diomedis verba (GL Keil I p. 491, 2 sq.): „Latini scriptores complures personas in fabulas introduxerunt, ut speciosiores frequentia facerent."

2) Teuffel in libello, qui inscribitur Studien und Charakteristiken (Leipzig 1871), habet haec p. 277 sq.: Ein heiteres Mahl mit Gesang und Tanz bildete ohne Zweifel die Schlussszene in dem Menanderschen Stücke, das dem Stichus zugrunde liegt, nur aber so, dass die Teilnehmer daran die heimgekehrten Ehemänner und ihre Frauen selbst waren, welche auf diese Weise ihre Freude über ihre glückliche Heimkehr nach langer Abwesenheit und über das frohe Wiedersehen der trotz Anfechtung treu gebliebenen Gattinnen an den Tag legten. . . . Dass ein solches Mahl die ursprüngliche Schlusszene bildete, folgere ich daraus, dass wir fortwährend von den Vorbereitungen dazu hören, dass z. B. Antipho sich IV 1, 63 auf Wiedersehen beim Mahle verabschiedet, dass überhaupt in diesem alle Fäden zusammenlaufen.

3) Schanz in hist. litt. Rom. I 1^3 p. 91 scripsit: So ist nicht unwahrscheinlich, was W. S. Teuffel vermutet, dass das Herrenmahl des Originals durch ein Sklavenmahl im letzten Akte ersetzt wurde.

4) Enk (l. s. s. p. 42) haec profert: veri simillimum est Teuffelium verum vidisse, cum coniceret Plautum pro dominorum convivio, quod fabulam Menandream finiret, et in quo etiam uxores denuo prodirent, substituisse servorum συμπόσιον; quare id fecerit, relegas velim apud ipsum Teuffelium.

ordine actorum inseri nequivisse diserte supra expedivimus. At Teuffel confidentius quam profert opinionem eo affatim censet comprobari, quod media in fabula Epignomum felicem ob reditum affinibus cenam esse daturum crebro commemoretur (cf. v. 415, 482 sqq., 510 sqq., 533, 569, 576, 592 sqq., 612 sqq.). Persaepe autem ea, quae agentes personae sibi proposuerunt, non in scaena sed extra scaenam perfecta esse audimus. Nec secus res hic instituuntur, quandoquidem ipse Stichus in fabulae fine spectantes facit certiores v. 663 sqq.:

„apud nos est convivium:
ibi vester cenat cum uxore adeo et Antipho:
ibidem erus est noster.“

Huc quoque spectant Stephanii ancillae partes v. 676 sqq., ubi exponit, cur e vicinis aedibus progrediatur:

„domo dudum huc arcessita sum. nam quoniam nuntiatumst
ipsarum venturos viros, ibi festinamus omnes:
lectis sternendis studuimus munditiisque apparandis.“

Et Prehn (l. s. s. p. 55) rectissime monuit hos versus admodum respondere verbis illis, quae Epignomus fratri, cum domum suam uxoris salutandae causa introire parat, dicit v. 536: „Apud nos eccillam festinat cum sorore uxor tua“. Insuper etiam spectatorum animos ad finis convivium iam v. 419 sqq. distincte praeparari atque sub ipsum exitum (v. 674—682) a dominorum cena ad potationes servorum traduci neque ideo has scaenas ab exemplari Graeco abiudicandas atque Plauto ut dimidiam Stichum cum extrema fabula conglutinanti attribuendas esse idem Prehn (p. 52 sqq.) uberius explicavit. Quantum tandem Menandreae comoediae actorum numerum fuisse cogitat Teuffel, cum ponit praeter fratres ambos eorumque uxores Antiphonem quoque una cum amica, quam sibi antea petivit (v. 539 sqq.), convivio interfuisse atque parasitum etiam, postquam satis diu malitiose sit illusus, ad cenam denique arcessitum esse, ut omnes facetiis scurrilibus oblectaret[1])!

1) Hisce enim pergit Teuffel (l. s. s. p. 278): Wozu wäre der Parasit da, wenn es nicht einmal zum Essen ginge? Gewiss wurde dieser, nachdem er von den Brüdern lange genug gequält war (IV 2), endlich doch noch mit einer Einladung begnadigt und zeigte sich nun beim Essen in seiner ganzen Grösse. Ferner Antipho, — beim Mahle wird er gleichfalls gepaart gewesen sein, wie seine Eidame, nämlich mit der Flötenspielerin, die er sich IV 1 von Pamphilus erbittet, nachdem er schon I 2 seine Abneigung gegen den einsamen

Sed de his opinionibus satis iam verborum est. Contra Prehn optimo iure haec perhibet (p. 54): „Cena ipsa 'intus' habetur; sed cum dominus et domina cum affinibus 'intus' cenent, Stichus cum amico et amica in scaena morem sibi gerit; itaque apparet potationem servorum subditam esse pro cena dominorum, quae hoc modo quasi speculo concavo, quo omnia distrahuntur et deformantur iocularem in modum, spectatorum oculis proponitur“.

Neque cuiusdam ponderis est argumentum illud, quo nimis fretus Enk ultimam Stichum ex alio quovis exemplari fluxisse Graeco evinci censet. Haeret enim (l. s. s. p. 39) in eo, quod Sagarinus, Pamphilippi servus, non iam cum ero ipso prodierit (ad v. 505), sicut ante (ad v. 402) Epignomus Sticho comitante sit ingressus in conspectum, sed multo post ad versum 649 demum a portu revertatur. Sed Enk non vidit rei nexum prorsus dirutum esse, si poeta Pamphilippum una cum Sagarino redeuntem fecisset. Nam qui ab Antiphone deducitur Pamphilippus, primo adventu ad v. 523 ante aedes suas in Epignomum incidit, quo facto sermo instituitur inter fratres socerumque; deinde postquam Antipho discessit, Gelasimus parasitus illius loco progreditur, ut hic quoque tres personae rebus intersint agendis. Itaque Sagarini prius introducendi pro histrionum numero poetae data non est copia. Ceterum cum fabulae argumento perbene convenit congruitque, quod servus negotia nescioquae expediendi causa prius a portu nequivisse reverti ponimus. Sed non libet ad omnia explicandi temptamina enarranda longius exspatiari, praesertim cum cetera argumenta, quae Leo et Enk ad sententias suas stabiliendas e Stichi fabula ut mire composita elicuerunt, summa ex parte cum alii tum Prescott et Prehn penitus iam infirmaverint; at satis habeo id tantum commemorasse, cui revera aliquid momenti tribuendum esse autumo. Plerique enim viri docti in Stichi fine offenderunt, quia nihil praebeat nisi embolium ut ita dicam nimis scurrile eius modi, quod nos „Posse“ appellamus, ideoque exeuntem fabulam a Menandro elegantia atque urbanitate praedito abhorrere arbitrati sunt[1]). At iudicium, quod illi de arte Menandrea ut

Witwerstand ausgesprochen hatte. So erhalten diese beiden Züge ihre Bedeutung und Beleuchtung.

1) Sic Wilamowitz, quem solum exempli gratia affero, in commentatione: Der Landmann des Menandros (Neue Jahrb. II 1899,

ab iocularibus eius generis admodum aliena fecerunt, nisi opinione praeoccupata fundatum non esse nuperrime criticorum apparuit pervestigatione. Suo enim iure Guilelmus Suess [1]), qui primus quantum video Stichi exemplar Graecum inter priores Menandri fabulas docebat enumerandas esse, ostendit νέας poetis non tam Euripidem quam Aristophanem fuisse exemplum, nec igitur scurriles parasiti partes potationesque servorum Plautinae Stichi, quae vestigia expressa τέχνης antiquioris exbiberent comoediae [2]), a Menandro esse abiudicandas. Et ipse Leo, quamvis ex Euripide potissimum poesin Menandream pendere pro certo affirmaret, facere tamen non potuit, quin artificia quaedam Plautina, etsi e Menandro fluxerint, ἀρχαίας spirare rationem sapereque concederet [3]). Etiam Enk sententiam Guilelmi Suess in eo saltem comprobavit, quod ipsis e parasiti partibus pro Aristophanis quasi colore pictis coniecit exemplar Stichi Graecum Menandro iuveni attribuendum esse (cf. p. 43 sq.). Via sic munita Prehn quaestionem funditus denuo pertractavit in opusculo illo, quod compluries

---

I. Abt. p. 515 sq.), postquam de Persae Plautinae disseruit compositione, cuius finem antiquiorem quam etiam fabulas quasdam Aristophaneas esse arbitratur, his pergit: Sehr begreiflich, dass auch solche Stücke sich auf der Bühne erhielten, die dem groben Gaumen vieler Theaterbesucher eine schmackhaftere Kost lieferten als Menanders Feinheit. So hat es denn Plautus aufgegriffen; er hat auch eine ähnliche Farce dem Menandrischen Eingang seines Stichus angefügt: humano capiti cervicem equinam.

1) Suess in commentatione, quae inscribitur Zwei Bemerkungen zur Technik der Komödie (Mus. Rhen. 65, 1910 p. 441 sqq.), docet haec p. 452: Die Annahme einer Kontamination (im Stichus) ist weder nötig noch auch überdies wahrscheinlich, wenn es gelingt, der Komposition dieses älteren menandrischen Stückes die rechte Stelle zu geben. Idem in fine commentationis haec statuit (p. 460): Zu Aristophanes, nicht zu Euripides führt die Entwicklungsgeschichte des klassischen Charakter- und Intriguenlustspiels.

2) Cf. verba illa Plutarchea, quae legimus in vita Luculli (cap. 39): Ἔστι δ' οὖν τοῦ Λουκούλλου βίου, καθάπερ ἀρχαίας κωμῳδίας, ἀναγνῶναι τὰ μὲν πρῶτα πολιτείας καὶ στρατηγίας, τὰ δ' ὕστερα πότους καὶ δεῖπνα καὶ μονονουχὶ κώμους καὶ λαμπάδας καὶ παιδιὰν ἅπασαν.

3) Scripsit Leo (Plaut. Forsch. [2] p. 137): Es ist die einfache und natürliche Auffassung, Übereinstimmung der ἀρχαία mit Plautus in Composition und Charakteren sowie in einzelnen Wendungen auf die Originale zurückzuführen. Ibidem p. 140: Es scheint mir nicht dem Zufall zugeschrieben werden zu können, dass einige der Stücke, die auf Menander und Philemon zurückgehen, mit den Resten der alten Komödie mehr Berührungspunkte als andere zeigen.

iam supra commemoratum est. Indagationis caput hoc fere statuit: et ἀρχαίας et μέσης et νέας quosdam poetas conviviorum, quae in scaena agerentur, artificio atque aliis iocularibus semper esse usos. Quae etsi Menander aetate maturiore omnino non inseruisset in fabulas, tamen illius artem nondum expolitam haud abhorruisse a μέσης poetarum ratione non solum consentaneum esse, sed apparere quoque cum ex aliis indiciis tum e Perinthiae Andriaeque „dissimili stilo" (Terent. Andr. v. 12) [1]) atque e Colacis fragmentis servatis [2]). Huc etiam spectare similitudines illas, quae inter Stichum et Persam pro compositione prorsus monstruosa intercederent. Tali ratiocinatione Prehn adductus est, ut contenderet et totius Stichi nexum haudquaquam artificiosum et parasiti partes et servorum in fine potationes saltationesque ipsum indicare Menandrum iuvenem [3]); quapropter nihil esset, cur aut in condicione Stichi universa argumentoque non ita subtiliter excogitato aut in emboliis illis scurrilibus ut Menandro indignis offenderent critici [4]). Quibus argumentis ea apte firmata sunt [5]), quae ante de compositione Stichi recte aestimanda explanavimus.

Itaque cum indagatione nostra fabulam integram e Menandro fluxisse effectum sit atque simul apparuerit in Graeca non plus tres histriones egisse, videamus iam, quomodo in

---

1) Cf. Prehn p. 25 sqq. et Arthur Saekel: Quaestiones comicae de Terenti exemplaribus Graecis. Diss. Berol. 1914 p. 35.

2) Cf. Prehn l. s. s. p. 9 sq.

3) Et Enk (l. s. s. p. 43 sq.) et Prehn (p. 60 sq.) Fridericum Hueffner refutaverunt, qui (in dissertatione: De Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologiae. Gotting. 1894 p. 46) Ἀδελφοὺς α' fabulam initio anni 306 esse datam ponit. At Enk (p. 43) Adelphos priorem inter 317 et 312 doctam, Prehn autem ante annum 317 actam esse contendit.

4) Vel veteres optime vidisse Menandrum haud eodem stilo fabulas ab adulescentia composuisse sed progrediente aetate in arte processisse testimonio sit Plutarchus, qui de Menandro haec scribit (comp. Aristoph. et Men. cap. II p. 853 F = Moralia ed. Bernard. V p. 205, 20 sqq.): εἰ οὖν πρὸς τὰ πρῶτα τῶν Μενάνδρου δραμάτων τὰ μέσα καὶ τὰ τελευταῖα παραβάλοι τις, ἐξ αὐτῶν ἐπιγνώσεται, ὅσα ἔμελλεν, εἰ ἐπεβίω, καὶ τούτοις ἕτερα προσθήσειν.

5) Conferatur, quanam ratione Schwering (l. s. s. p. 184 sq.) contaminationis opinionem a criticis dilatatam repudiaverit. De quaestione sic profligata novissime scripsit R. E. Sonnenburg in commentatione: Plautus und seine Originale. Wochenschr. f. klass. Philol. 34, 1917 p. 626 sqq.

Sticho, id est in Menandri Adelphis priore, inter singulos actores partes singulae distributae sint. Disponitur fabula eo, quod scaena quater vacua relinquitur, post v. 154, post v. 401, post v. 504, post v. 640 in quinque ut ita dicam actus; inter quos temporis quoddam spatium intermitti necessarium fuit, ut histrionibus copia mutandi habitus daretur. Quasnam personas protagonista deuteragonista tritagonista aptissime susceperint, perspicies ex hacce tabula:

	Protagonista		Deuteragonista		Tritagonista
1—57	—	1—57	Pamphila	1—57	Panegyris
58—146	Antipho	58—154	Pamphila	58—154	Panegyris
155—273	Gelasimus	155—273	—	196—265	Crocotium
274—325	Gelasimus	274—325	Pinacium	274—325	—
326—401	Gelasimus	326—397	Pinacium	326—397	Panegyris
402—453	—	402—453	Stichus	402—453	Epignomus
454—504	Gelasimus	454—501	—	454—496	Epignomus
505—569	Antipho	505—578	Pamphilippus	523—578	Epignomus
579—640	Gelasimus	579—631	Pamphilippus	579—631	Epignomus
641—648	—	641—648	Stichus	641—648	—
649—673	Sagarinus	649—673	Stichus	649—673	—
674—682	—	674—682	—	674—682	Stephanium
683—741	Sagarinus	683—741	Stichus	683—741	—
742—775	Sagarinus	742—775	Stichus	742—775	Stephanium

Unum tandem de tibicine eiusque in fine Stichi munere est addendum. Primo forsitan obtutu mirum videatur, quod ille, etsi eum Sagarinus compluries alloquitur (v. 758 sqq., v. 767 sqq.), nihil omnino respondet (cf. Casin. v. 798 sqq.)[1]. Sed haec non gravioris sunt momenti quam si apud nostrates persona quaedam in conspectu agens e musicis unum appellat. Hoc ipso loco patefit ab histrionum partibus et arte admodum abhorrere tibicinis munus. Qui in extrema Sticho etiam atque etiam incitatur ad bibendum, ut vino quasi perunctus occipiat „lepidam et suavem cantionem aliquam cinaedicam, ubi perpruriscant usque ex unguiculis" (v. 760 sq.). Ipsi autem personarum quae agunt colloquio nulla interest ratione, sed res

1) Suess (l. s. s. p. 453) artem Aristophaneam apte in mentionem revocat docens haec: Die im Bereiche der νέα höchst auffällige, breit ausgedehnte Hereinbeziehung des tibicen hat bei Aristophanes nichts Auffälliges. Insbesondere vgl. Ekkl. 890 ff., Ach. 860 ff., Thesm. 1175 (infla buccas φυσᾶν), 1186.

agendas eo tantum iuvat, quod tibiis canendo servos impellit iam ebrios, ut moveantur Ionice laetitiaque effusi ac licentia cordacem saltent.

De Cistellaria.

Sed de Sticho hactenus. Accedamus igitur ad Plauti Cistellariam; cuius exemplaris Graeci nomen quodnam fuerit, etsi in medio est relinquendum, tamen a Menandro translatam esse fabulam satis constat[1]. At temporum iniquitate Cistellariam maxime detruncatam atque mutilatam tenemus. Etenim dimidiam fabulam dolemus tantis lacunis hiare, ut de argumenti nexu crebro divinare tantum liceat. Quamquam ingenii acumine cum alii critici tum Guilelmus Studemund cum eoque Oscar Seyffert rerum seriem studuerunt refingere, cum, quae intercidere in Palatinis, et ex Ambrosiani laceratis quibusdam foliis et e fragmentis scite insertis magna ex parte expleverint[2]. Itaque videamus quaenam singulis in scaenis probe stabiliverint fixerintque illi, quaerentes simul de histrionum numero ac condicione. Versuum numeros ex editione Friderici Schoell afferre vel eo cogor, quod hic etiam in Cistellariae partibus restituendis ad illorum omnino fere accedebat sententias.

In fabulae exordio tres una personas in scaena spectamus agentes. Confabulatur enim Selenium, cuius amator Alcesimarchus patris iussu rus profectus est, cum Gymnasio meretricula eiusque matre, quae visendi gratia venerunt. Quibus exponit sese a Melaenide — eam pro matre habet — cogi quem diligat Alcesimarchum repudiare atque in Melaenidis ipsius domum statim reverti, quia illum Demiphonis filiam in matrimonium ducturum esse volgo feratur. Itaque lenam pre-

1) Nam fragmentum Menandri incertum ab Hermogene (de inv. IV 11) servatum (= fr. 558 Kock) ad Cistellariae versus 89 sqq. referendum est.

2) Conferantur quae Seyffert hac de quaestione, quam inierunt viri docti, statuit (in Burs. ann. vol. 63, 1890 p. 64 sqq.). Idem quae Studemund indagavit ac congessit de Cistellaria restituenda post huius obitum in lucem edidit in commentatione notissima illa, quae inscribitur Herstellungsversuch der Plautinischen Cistellaria (Studemund. Stud. vol. II 1891 p. 417 sqq.), simul in annotationibus, quibusnam in rebus ab illius discreparet sententiis, adiecit. Utriusque pervestigationem in scaenarum serie instauranda pro fundamento iaciemus.

cibus adit, ut Gymnasium in aedibus ab Alcesimarcho conductis triduum sinat remanere, quoad ille reverterit. Quod ubi Selenium impetravit, ad Melaenidem continuo discedere properat (v. 116). Nec multo post Gymnasium, ut illius mandatum persequatur, Alcesimarchi intrat domum (ad v. 119). Lena autem, qua est loquacitate, sola remanet in scaena neque temperare sibi potest, quin spectatores de Selenii origine ac sorte certiores faciat. Ubi hoc munere perfuncta conspectum reliquit (v. 148), Auxilium deus apparet, ut res ante actas, quas lena effutivit magna ex parte, diligenter inde a principiis explicet. Primi fabulae actus, quem integrum diem tulisse pro argumenti cohaerentia refingenda gravissimi est momenti, hic iam finis fit.

Alter incipit a soliloquio (v. 203), in quo rure reversus Alcesimarchus exponit sese acerbissimos dolores ac miserias percepisse, quia mulieris adamatae consuetudine per sex dies caruerit. Post v. 229 plus quingentis versibus intercisis maxima illa lacuna hiat, quam quomodo ex Ambrosiani reliquiis aliisque fragmentis expleverint Studemund et Seyffert, breviter repetamus necesse est.

Finito cantico Alcesimarchum, dum aedes a se conductas introit, a nescioquo atriensi parum accurate de Selenio digressa certiorem esse factum Studemund [1]) collegit e reliquiis quibusdam eius quae sequitur scaenae (v. 231 sqq.), ubi adulescens cum aliquo servo, si recte suspicati sunt critici, de amoris negotiis expediendis deliberat. Sed fragmenta ad quae provocat minus plana sunt, quam ut in servo, si modo est servus, ipso ut erilem filium de amicae abitu edocente offendamus. Quod autem Studemund [2]) ponit eam personam, quae prima adulescenti attulerit inoptatum nuntium, paulo post domum intrasse, ut Gymnasium, quacum Alcesimarchus infra confabulatur, arcesseret, haec opinio nimis levi fundata est argumento. Sescentiens enim, ut alia omittam, personas introducendi ratio talis est, ut dum progrediuntur dicant sese agentis cuiusdam audisse

1) Stud. vol. II p. 423.

2) Explicat haec (l. s. s. p. 424): es ist eine naheliegende Vermutung, dass die Person, welche dem Alcesimarchus die erste ungenaue Nachricht über Seleniums Entfernung gab, darauf wieder ins Haus trat, um Gymnasium von der Rückkehr des Alcesimarchus in Kenntnis zu setzen, wodurch das nachher folgende Erscheinen der Gymnasium veranlasst wurde.

vocem; quapropter Gymnasium quoque eandem ob causam postea procedere cogitari potest. Neque aliud quicquam obstat, quin Alcesimarchum statuamus ab eadem persona, sive est servus sive non est, quaenam acciderint accepisse, a qua brevi post consilia petit (cf. v. 249: „sed quid auctor nunc mihi's?"). De cuius sermonis nexu vix quicquam pro certo affirmare licet; quid sane de reliquiis recte interpretandis et Studemund et Seyffert censuerint, apud ipsos relegas [1]). Dum Alcesimarchus cum servo qui dicitur in scaena agit, Gymnasium videtur intervenisse. Etenim ab illa adulescentem in posteriore fabulae parte, quae est plane deperdita, certiorem factum esse amicam non sua sponte, sed matre irata auctore esse digressam Studemund ex indiciis (cf. v. 301 sqq.) probabiliter eruit [2]). Quamquam de ea quae hanc excipit scaena multo certius pro reliquiis satis amplis constat. Una cum Alcesimarcho alia quaedam introducitur persona, quam etsi pro Alcesimarchi sodali habet Studemund [3]), tamen pro amico eius patris illam habendam esse Seyffert monet [4]). Idem Seyffert haud scio an recte iudicaverit adulescentem sermone cum Gymnasio habito, dum Melaenidis iam petit aedes, in illum incidisse. Postquam ii aliquantisper inter se collocuti sunt — scaenae enim initium ut valde mutilatum nihil certi praebet —, Alcesimarchus furore adeo incenditur, ut servum evocet pedisequum (v. 283) eumque et arma afferre et satellites iubeat adducere. Neque iniuria Studemund inde confecit [5]) Alcesimarchum hic de Selenio cogitasse vi eripienda. At primo impetu remisso patris amicum, si modo est, audit monentem, ut Melaenidis, amicae matris, gratiam precibus sibi reconciliare studeat (cf. v. 304 „Expurigabo hercle omnia ad raucam ravim"). Scaena ultima una cum exordio posterioris fabulae partis, a qua Studemund tertium actum incipere vult, interiit. Quodsi igitur de scaenarum, quae antecedunt, serie, qualem critici restituerunt, reputamus, id ut gravissimum statuendum est nullo loco plus tres simul egisse personas. Quamquam ambiguum est, num Gymnasium tanto temporis spatio ante amici patris qui dicitur introitum remota sit, ut actori suo ad eius habitum sumendum copiam facere posset. At hi quoque scrupuli eximuntur, si servi qui

1) L. s. s. p. 424 sqq. 2) Ibid. p. 428.
3) L. s. s. p. 428 sqq.
4) Cf. Burs. annal. 63 p. 66; Stud. II p. 429.
5) L. s. s. p. 429.

bis introducitur partes inter diversos dispertiamus actores. Quam distribuendi viam ut ingrediamur vel illud commovet, quod priore loco ne constat quidem eam personam fuisse servum[1]). Itaque cum rem sic expedivimus, numquam tum de fuisse mutandi habitus intervallum perspicies hinc:

203–(230)	Alcesimarchus	203–(230)	—	203–(230)	—
(231–266)	Alcesimarchus	(231–266)	Servus?	(231–266)	—
*	Alcesimarchus	*	—	*	Gymnasium
(267–304)	Alcesimarchus	(267–304)	Amicus patris eius?	(283–304)	Servus

Tertii actus etsi plerique editores initium faciunt a versu 631, tamen suo iure Studemund[2]), quem Schoell secutus est, coniecit novum actum, tertium dico, coepisse ab Alcesimarchi patris soliloquio. Comprobavit enim accessisse senem ad aedes a filio conductas, in quibus Selenium habitare opinaretur, atque in via explicasse, de quanam uxore ab Alcesimarcho ducenda cogitaret, itaque amicam filii, ne disturbet nuptias, sese iam esse deterriturum. Eius quae sequitur scaenae reliquias tenemus satis magnas, ut rerum cohaerentia inde appareat. Ex ipsa domo Gymnasium procedit, dum secum de Alcesimarcho iam reduce eiusque aedibus lepide instructis loquitur (v. 306 sqq.). Atque initio senex auscultans astat, tum vero in meretricem, utpote quam pro Selenio habeat, conviciis invehitur (v. 321 „mali damnique inlecebra salve“) eique et filii et aliorum tamquam pesti ac perniciei exprobrat quaestus meretricios. Maledicta Gymnasium primo acriter reicit (cf. v. 322 „vapulabis“), mox autem cum sibi magis magisque persuadeat, quonam errore senex ducatur, non modo gaudet illum illudi, sed etiam Selenium simulare constituit (cf. v. 366 sq.: „Miser errat, ut ego dixi. Lepidast materies: ludam ego hunc: nam occasio videtur“). De scaenae quidem fine, qui intercidit, nihil stabilire licet. Quamquam verisimile est Gymnasio et Alcesimarchi patre altercantibus intervenisse lenam; nam e fragmentis, quae Studemund insequenti scaenae

1) Studemund haec profert p. 424: Dass die Person, mit der sich Alcesimarchus in diesem Bruchstücke (v. 231 sqq.) unterredet, und die er nachher um Rat fragt, ein Mann ist, zeigt das hercle (v. 238, 239, 246); aber weiteres, ob es ein amicus oder ein servus, z. B. eine Art paedagogus, war, lässt sich nicht ermitteln.

2) L. s. s. p. 430.

probabiliter attribuit (v. 374 sqq., v. 377), conici potest senem Selenii amore incensum cum matre stipulationem de filia fecisse[1]). Utut autem res se habent, fabulae progressus luculenter demonstrat a lena ipsa, etsi triduum non praeteriit (cf. v. 104), Gymnasium esse abductam (cf. v. 546 sq., v. 556 sq.). Hoc igitur loco tres personae rebus interfuisse videntur agendis. Sed incertum est, num qui postea prodit Lampadio (v. 381) Alcesimarchi patrem ante digressum tanto spatio secutus sit, ut idem histrio et senem et Lampadionem potuerit agere. Nam ab eo mulieres, dum discedunt, esse visas ipsius docent verba (v. 424): „haec sustulit . . .“; sine dubio enim referenda sunt in lenam, quae Phanostratae filiam infantem sustulerat expositam. Itaque de hisce scrupulis tum demum recte diiudicare licebit, cum histrionum condicio totius fabulae patefacta erit. Lampadio, ubi paucis explicavit verbis, quibusnam negotiis occupatus esset, mulieres statim subsequitur. Etenim postea (v. 536 sqq.) audimus eum cum lena atque Gymnasio, quam pro erae habuit filia (cf. v. 556 sqq.), sermonem contulisse. Itaque in aperto est hanc fabulae scaenam cum insequenti, ubi Alcesimarchum Selenium Melaenidem, tres dico personas, convenientes facit poeta, haud tali cohaerere nexu, ut inter eas temporis spatium quoddam nequiverit intermitti. Nam quid Lampadioni lenam clamore per vias sectanti (cf. v. 536) cum Alcesimarcho aut iam cum Melaenide et Selenio est negotii? Quapropter nihil obstat, quin ponamus post Lampadionis abitum aliquantisper scaenam mansisse vacuam, ut idem histrio, qui ante servi susceperat partes, Selenium indueret. Studemund ille quidem in medio relinquit, utrum hoc loco Alcesimarchus cum Selenio sola an simul cum eius matre adoptiva confabulatus sit[2]), sed recte Schoell[3]), quod propter versum 451 sq. necessario Melaenis quoque praesens cogitanda sit, inter Alcesimarchum et Selenium et Melaenidem totius partis distribuit versus.

Alcesimarchi preces, qui amicae matris gratiam sibi conatur reconciliare, non solum ipsa, sed etiam Selenium amica repudiat. Neque post huius discessum (v. 464) Melaenis commoveri potest, ut adulescenti, quamvis sese filiam uxorem esse ducturum confirmet, Selenium reddat. Quo fit, ut ille non solum omnem spem deiciat, sed etiam furore et amentia effe-

1) Conferantur quae Studemund exposuit l. s. s. p. 432.

2) L. s. s. p. 434 sq. 3) In edit. maior. p. 46 sqq

ratur ingentesque, dum abscedit (v. 530), minas iactet. Timore perterrita Melaenis iam eum secutura erat, cum Lampadio qui necopinato approperat (v. 534) illius oculos animumque in se convertit. Novae rei ut est cupida statim astat, non modo servi soliloquium (v. 536 sqq.), sed etiam sermones postea captat, quos cum era serit Lampadio (v. 543 sqq.). Itaque iam auscultando certior fit lenam Selenii olim expositae res ac fortunam enarrasse. Vix autem Phanostrata digredi parabat (v. 596), cum ipsa servum, qui est abiturus, (v. 597) alloquitur ab eoque comperit quam pro ipsius filia substituerit Selenium ex Demiphone atque Phanostrata natam esse. Quibus auditis filiam sua sponte parentibus, ut ab iis gratiam ineat, reducere constituit. Itaque etiam tota hac fabulae parte, quam tertium actum exhibere Studemund ponit, nihil obstat, quominus tres tantummodo histriones egisse pro certo affirmemus, nisi quis forsitan ambigat, num temporis intervallum satis magnum fuerit (cf. v. 374 sqq.), ut et Alcesimarchi patris et Lampadionis servi partes ab eodem actore potuerint suscipi. Qua in dubitatione utrum haerere liceat, totius Cistellariae nexu enucleato perspicue cognosces.

Ineunte novo actu, quarto dico, si Guilelmi Studemund atque Friderici Schoell, tertio contra, si vulgatam comprobas dispertiendi rationem, Melaenis cum Selenio, quam parentibus reddere vult, in conspectum procedit (v. 631). Atque una cum mulieribus Halisca ancilla ingreditur, cui crepundia quae in cistella servata sunt ut portet Melaenis mandat (v. 637). Dum ad Phanostratae accedunt domum, Alcesimarchus ex ipsius aedibus cum gladio proruit (v. 640), ut manus sibi iam inferat, sed in summo rerum discrimine Selenium conspicit, propositis desistit, amicam in aedes conductas secum portat (v. 650). Neque Melaenis iam habet quicquam antiquius, quam ut adulescentem extemplo sequatur eumque de Selenii origine edoceat ac sorte; at Halisca, ut metu trepidat, effugit, dum e manibus eius ante ipsam Demiphonis domum cistella cum crepundiis elabitur.

Hic ergo quattuor personae adsunt in scaena, Melaenis Selenium Halisca Alcesimarchus. Sed summi est discriminis, quod Halisca, cuius etsi partes postea (v. 671 sqq.) graviores sunt, hoc loco, quo una cum personis quae colloquuntur tribus in conspectu versatur, omnino nulla facit verba. Quapropter e diverso Haliscae introducendae modo, cuius ad personam

hic sustinendam κωφὸν πρόσωπον tantum suffecit, evidenter patet fabulam dedita opera esse compositam, ut a tribus posset dari histrionibus.

Initio posterioris fabulae partis (v. 653), quo a loco incipere quintum actum Schoell vult, quartum ceteri, Lampadio procedit servus, qui graviter molesteque fert lenam omnia iam infitiari, quae dudum confessa est. Sed in ipso irae ardore cistellam, quae in via iacet, conspicit. Quam dum tollit, Phanostrata progreditur (v. 658) et crepundia agnoscit ut filiae olim expositae. Neque multo post Halisca cistellam ut quaerat redeunte argumenti nodus omni modo solvitur. Etenim ab illa Phanostrata certior fit ipsam quae infans crepundia gestaverit Selenium in Alcesimarchi commorari aedibus, qua re accepta mater non iam retineri potest, quin cum Halisca domum illam festinet introire, ut filiam amplectatur modo inventam (v. 773).

Praeter unum Fridericum Schoell omnes editores quarti actus finem hic faciunt. Quaestionem ipsam etsi mittere possumus, tamen vel inde apparet inter antecedentem partem fabulae atque eam quae sequitur temporis spatium aliquod interpositum esse. Nec vero apte Studemund [1]) ponit Demiphonem continuo post mulieres digressas esse ita introductum, ut in Lampadionem in conspectu remanentem incideret. Cuius sententiam ne comprobemus, histrionum quoque numero ac condicione adducimur. Nam eundem actorem et mulierum, sive Phanostratae sive Haliscae, alteram et Demiphonem induisse statuamus necesse est, quandoquidem nihil indicat plus tres egisse histriones. Neque ulla ratione res perturbantur, si Lampadionem, dum Phanostrata et Halisca discedunt, domum eri intrasse, deinde autem Demiphonis, qui ex urbe advenit, voce audita in conspectum redisse ponimus (v. 774 sqq.).

In foro quaenam evenerint certior factus Demipho a Lampadione servo in scaena ipsa iam comperit filiam repertam una cum uxore in Alcesimarchi versari domo. Quod ut primum audivit, ipse quoque illius aedes intrare properat, in quibus omnia confici negotia epilogo caterva edocet spectatores.

His ergo pensitatis patet in fabula non modo nihil probare plus tres actores progressos esse, sed ex ipsa personas

1) Docet haec (l. s. s. p. 436): sie (Phanostrata) begibt sich in dasselbe (Haus) mit Halisca, um ihre Tochter zu umarmen. Da kommt, während Lampadio auf der Bühne zurückbleibt, auch Demipho hinzu . . . .

introducendi ratione clare perspicitur poetam in rerum nexu instituendo de trium tantummodo actorum cogitasse numero atque ordine, ut totius Cistellariae compositione patefacta non iam de illa scaena, de qua iudicium non protulimus, ambigere liceat.

Media fabula cum valde mutilata sit, quanti ponderis cum aliae tum Alcesimarchi patris eiusque amici qui dicitur partes fuerint, nescimus. Quare difficulter discernitur, quasnam personas protagonista deuteragonista tritagonista susceperit. Mihi quidem hocce modo aptissime singulae partes videntur distribui[1]): (tabula novam fabulae partem indicat, ubicumque scaena vacua relicta est).

	Protagonista		Deuteragonista		Tritagonista
1—116	Selenium	1—119	Lena	1—119	Gymnasium
120—148	—	120—148	Lena	120—148	—
149—202	Auxilium	149—202	—	149—202	—
203—(230)	—	203—(230)	Alcesimarchus	203—(230)	—
(231—266)	Servus?	(231—266)	Alcesimarchus	(231—266)	—
*	—	*	Alcesimarchus	*	Gymnasium
(267—304)	Amicus patris Alcesimarchi?	(267—304)	Alcesimarchus	(283—304)	Servus
(305)	Pater Alcesimarchi	(305)	—	(305)	—
(306—373)	Pater Alcesimarchi	(306—373)	—	(306—373)	Gymnasium
(374—?)	Pater Alcesimarchi	(374—	} Lena	(374—	} Gymnasium
*	Lampadio	380)		380)	
(381—433)	Lampadio	(381—433)	—	(381—433)	—
(434)—464	Selenium	(434)—464	Alcesimarchus	(434)—464	Melaenis
465—535	—	465—527	Alcesimarchus	465—535	Melaenis
536—542	Lampadio	536—542	—	536—542	Melaenis
543—625	Lampadio	543—596	Phanostrata	543—630	Melaenis
631—639	Selenium	631—639	—	631—639	Melaenis
640—649	Selenium	640—649	Alcesimarchus	640—652	Melaenis
653—670	Lampadio	658—670	Phanostrata	653—670	—
671—773	Lampadio	671—773	Phanostrata	671—773	Halisca
774—781	Lampadio	774—781	—	774—781	Demipho
782—787	Epilogus				

1) Quod Schmidt (l. s. s. p. 25 sq.) dimidia fabula, cuius fragmenta tantum exstant, omnino neglecta perperam instituit.

De Bacchidibus.

Restat, ut de Bacchidibus disseramus Plautina. Etenim huius fabulae exemplum Menandri Δὶς ἐξαπατῶντα esse Fridericus Ritschl[1]) argumentis eruit admodum certis. Sed in Bacchidibus quoque perinde atque in Sticho indicia quaedam criticis venerunt in offensionem, ut fabulam haud integram e Menandreo exemplari fluxisse, sed arti ipsius Plauti contaminatoris statuerent deberi. Nos sane supersedere possumus inquirere, quaenam ratio intercedat inter Atticam atque Plauti fabulam, quoniam argumenta adhibita a criticis, quorum nulla omnino nisi Eduardi Fraenkel[2]) inveteravit sententia, cum alii viri docti tum nuperrime Prehn (l. s. s. p. 62 sqq.) funditus refutarunt refelleruntque, ut controversiis adeo diremptis de Bacchidibus mere a Menandro translata non iam liceat dubitare. Neque disertius quaestionem iuvat tangere longe intricatissimam, quae est de deperdito in libris exordio. Primas enim fabulae partes, quae interierunt, e grammaticorum testimoniis et Ritschl[3]) et Ussing[4]) et Ribbeck[5]) et Tartara[6]) et

1) Parerg. I p. 405 sq.

2) Cf. Fraenkel: De media et nova comoedia quaestiones selectae. Diss. Gotting. 1912 p. 100 sqq. Monens enim de servo apud Menandrum bis decipiente (Δὶς ἐξαπατῶν), contendit omnia quae cum alterius epistulae machinationibus cohaereant (v. 925 sqq.) Plautum ipsum principali addidisse exemplari, quia Nicobulus senex tertium hac fabulae parte servi fallaciis decipiatur, quod et aliis indiciis (v. 692 et v. 1090) et vel ipsi Graeco nomini repugnet. Cuius sententiam Fridericus Leo comprobavit defenditque (in hist. litt. Rom. p. 119 sq.). At Prehn (l. s. s. p. 66 sqq.) suo iure id praecipue contra attulit illa alterius epistulae fabrica Lydum ad finem tantummodo perducere fallacias eas, quas, ubi Mnesilochus praecipiti animo priorem dolum frustratus est, in senem iterum ille instituit. Singula apud ipsum relegas velim, nam uberius de his disputare operae non est pretium, praesertim cum in illis scaenis, quas abiudicat Fraenkel a Menandro, non plus duae personae, id est Mnesilochus senex cum eoque Chrysalus servus nequam, introducantur, ut quaestio nobis pertractanda haud quaquam inde pendeat.

3) Ritschl: Die ursprüngliche Gestalt der Plautinischen Bacchides. Mus. Rhen. 4, 1846 p. 354 sqq. et 567 sqq. = Opusc. II p. 292 sqq.

4) Ioannes Ludovicus Ussing in Plauti (Bacchidum) editione, vol. II 1878 p. 371 sqq.

5) O. Ribbeck: Die verloren gegangenen Scenen der Plautinischen Bacchides. Mus. Rhen. 42, 1887 p. 111 sqq.

6) A. Tartara: De Plauti Bacchidibus. Annali della Università Toscana 18, 1888 p. 232 sqq.

Baar [1]) instaurare conati sunt, neque vero alius alteri persuasit suam opinionem esse comprobandam, sed de scaenarum serie refingenda atque de personis deinceps progressis adeo inter se discrepant, ut prorsus desperaverim pro reliquiis perexiguis enucleari posse, qualis histrionum fuerit condicio scaenica. Insuper in Bacchidibus, quantam tenemus, actorum numeri et ordinis indicia cernuntur tam aperta, ut vel haec suadeant, ne incertiora iaciamus pro fundamento neve in opinionibus nulla fere e parte firmis proferendis rem nimis distrahamus. Itaque his obiter commemoratis iam ad ea accedamus, quae ad nostram pervenerunt memoriam.

A fabulae fine quidem exordiendum est. Nam cum in iis, quae finem antecedunt, scaenis nusquam plus tres personae rebus intersint agendis, ut initium quod interiit praetermittam, in extrema parte quattuor personae simul inter se confabulantur. Videamus igitur de argumenti nodo:

Irae ardore incitati senes, ubi suam uterque vicem questus est (v. 1076—1103), iam ambo communi tamquam Marte in meretrices rem gerere constituunt. Neque proposita peragere cunctantur, sed ilico ad ostium Bacchidum accedunt foresque tumultu feriunt, ut in filios, cum mulierum consuetudine intus sint devincti, itemque in servum vindicent ingeniosissime nequam, qui sene suis fabricis bis decepto in sinu iam gaudet. Initio quidem meretriculae evocatae (v. 1120 sqq.) temperare sibi non possunt, quin senes derideant tamquam oves, quae longius a grege palent (v. 1121 sqq.); sed ubi cognovere malum sibi datum iri ab iratis patribus, ipsos blanditiis petunt provinciisque divisis eos pellicere intendunt. Immo vero etiam senes, quamvis pertinaciter primo illecebris obsistant, pedetemptim ac gradatim Bacchidum irretiuntur laqueis, ut dum filios a meretricum consuetudine divellere atque distrahere student, perridicule capti eorum in lustris fiant comites. Neque gnatos neque servum versutissimum illum abducunt, sed cum maxima spectatorum irrisione ipsi intro illiciuntur [2]). Atque

1) J. Baar: De Bacchidibus Plautina quaestiones. Diss. Kiliens. 1891 cap. I.

2) Tamen non est, cur critici hoc in fine ut nimis scurrili offenderiut, nam etiam maiorem vim inesse in fabula sic exeunte Wilamowitz perspicaciter exposuit in annalibus qui vocantur Neue Jahrb. II 1899 p. 517, ubi scribit: Nehmen wir ein Stück, das durch seinen frivolen Schluss Mommsens Entrüstung hervorgerufen hat —

totius rei nexus ostendit quattuor hic egisse personas apud Menandrum. Nam uterque pater permulcendus est. Sed Chrysalus fallaciae mendaciique auctor improbissimus perinde ac filii sodales, qui amorum fruuntur voluptatibus, nihil magis cavent, quam ne cum senibus congrediantur exacerbatis [1]). Solae hilarem ad exitum fabulam perducere possunt meretriculae. Et ipsae, quarum causa turbae inceptae sunt, pacem conficiunt. Praeterea ipsa haec illustrat scaena, quam varia arte Menander et utriusque senis indolem et Bacchidum partes depinxerit: pronum ad nequiora facit Philoxenum, iratum ob amissam pecuniam ac propterea minus facilem domitu introducit Nicobulum. Quae asperior provincia versutiori puellae data est. Nam Bacchis prior, ut est cata, aucupandi lucri haud expers est consilii; Philoxenum levissimi ingenii virum germanae attribuit pelliciendum, sibi vero exacerbatum minacemque Nicobulum desumit (v. 1150 sq.):

„Senem illum tibi dedo ulteriorem, lepide ut lenitum reddas:
Ego ad hunc iratum adgrediar, si possumus nos hosce intro inlicere huc.“

In aperto igitur est totum scaenae corrui nexum, si quis forte aut alterius Bacchidis leviorem personam aut alias quasvis partes ut a Plauto insertas hinc velit segregare. Itaque satis miror, quod Graf ceterique, qui de ternis tantum a Menandro ut Euripidis imitatore histrionibus introductis confidentius hariolantur, in Bacchidum fine omnino non offenderint. Etenim eorum opiniones vel illius scaenae cohaerentia ad irritum rediguntur, quoniam res ipsa clamitat quattuor actores fuisse ne-

cf. Teuffel-Kroll in hist. litt. Rom. I p. 171 de Bacchidibus: Der Schluss fällt sehr ins Burleske —, den „Doppelbetrug“, die Bacchides. Da sehen wir den Betrug so die Jünglinge und die Hetären und die Alten verdoppelt. Das ist nicht bloss so lustig, das hat auch seine ernste Bedeutung; solche Schafe, wie sie hier geschoren werden, sind Herdentiere: solche Jungen, die zu solchen Alten werden, gibt es immer wie Rosenkranz und Güldenstern. Der Dichter braucht nicht doktrinäre Belehrung zu predigen: das Stück Leben, das er zeigt, wird auf den ernst Denkenden von selbst anders wirken als auf die Herdentiere im Theater, die nur ihresgleichen sehen.

1) Quod igitur Baar (l. s. s. p. 62 sq.) opinatus est Plautum ultimam scaenam de suo inseruisse atque substituisse pro alia, qua Chrysalus senes filiis reconciliaverit, haec ut falsa et Seyffert (in Burs. annal. vol. 84, 1895 p. 14) et Prehn (l. s. s. p. 65) iure refutaverunt. Conferatur Schanz in hist. litt. Rom. I 1^{3} p. 81.

cessarios. Sed de his satis verborum est. Videamus autem, quonam modo singulae personae histrionibus singulis vindicandae sunt. Quod ut expediamus de ineuntis fabulae serie iam pauca sunt adicienda.

Prima in scaena, quae integra fere servata est, tres personae simul introducuntur. Etenim Pistoclerus, qui Mnesilochi sodalis negotia amoresque ut curet meretriculas adit sorores (v. 39), ipse prioris Bacchidis artificiis capitur. At mulier, qua est calliditate, adipiscendae cenae occasionem, quae commode datur, tenet statimque novum, quem sibi conciliavit amatorem, mittit obsonatum v. 93 sqq. Postquam discessit (v. 100), sorores quoque ambae, ubi aliquantisper de lucro ac praeda faciendis inter se collocutae sunt, domum intrant (v. 108). Hac scaena peracta, post quam aptissime Ritschl[1]) cum eoque et alii et Goetz atque Fleckeisen in editionibus suis finem actui imponunt primo, conspectum paulisper mansisse vacuum luce est clarius. Nam per breviculi mulierum sermonis intervallum (v. 101—108) fieri non potuisse, ut Pistoclerus obsoniis coemptis iam rediret, et ipsa res ostendit et Lydi, qui cum alumno reduce simul procedit, quoque verba docent v. 109 sq.:

„Iam dudum, Pistoclere, tacitus te sequor
exspectans, quas tu res hoc ornatu geras.“

Optimo autem iure Ritschl[2]) versum 107, quae verba alteri Bacchidi attribuuntur digredienti, „simul huic nescio qui turbare qui huc it: decedamus“, uncis seclusit, quippe qui rei nexui prorsus repugnet. Neque enim in Pistoclerum utrique sorori satis notum amatorem, neque vero in Lydum quadrat, qui „tacitus“ (v. 109) erilem filium vestigiis sectatur. Praeterea histrionum quoque condicione adducimur, ut versum expungamus neque uno tenore res processisse sed post temporis intervallum quoddam demum una cum praedagogo Pistoclerum prodisse in conspectum contendamus. Etenim eorum actorum, qui mulierculas sorores susceperunt, alterum etiam Lydum induisse pro universa personas introducendi ratione statuamus oportet. Qua de ratione conferatur quae infra addita est tabula. Utri sane illius persona sit assignanda neque ex huius loci neque e scaenarum quae sequuntur nexu pro certo potest affirmari. Nam postquam Pistoclerus cum eoque paedagogus,

1) Opusc. II p. 354 sqq.
2) Opusc. II p. 306.

qui erili filio obsonium ferenti amoris voluptates indignatus exprobrat, partes hic peregerunt (v. 109—169), id est meretricum ambo intraverunt aedes, nihil obstat, quin ante Chrysalum v. 170 progressum, quo loco pro vulgata divisione alterius actus ponitur initium, temporis aliquod spatium intermissum esse statuamus, ut, qui Lydi sustinuit personam, idem iam agat Chrysalum. Nec secus res postea (v. 368 sqq.) in ea se habent fabulae parte, in qua Lydus, postquam Chrysalus digressus est, ut Mnesilocho de amica inventa fraudibusque patri datis nuntium afferat, e Bacchidis proruit domo, alumni sui nequitias dum acerrime insectatur. Ab hoc paedagogi soliloquio novum actum incepisse opinio vulgata est. Quem distribuendae fabulae modum sive comprobas sive non comprobas, certe patet scaenam, quae antecedit, cum insequenti nullo cohaerere vinculo, ut intervallum licuerit tum dare, si eidem actori et Chrysali et Lydi partes fuere agendae. Itaque dubium est, vindicesne Lydum cum Chrysali longe gravissimis partibus Bacchidisque prioris persona ipsi protagonistae an una cum altera Bacchide ei qui est quarti loci histrioni. Hanc dispertiendi ut ineamus viam, illud sane commovet, quod munus quarti actoris, si Bacchidis alterius tantum partes sustinuisset, nimis leve fuisset.

De ceteris personis coniungendis quaestio ipsa scaenarum serie paene profligatur, quandoquidem inde luculenter apparet eosdem histriones et patres et eorundem egisse filios. Nusquam enim Nicobulus una cum Mnesilochi nato aut Philoxenus una cum Pistoclero introducitur; simul videlicet Philoxenus Mnesilochusque in conspectum procedunt (v. 405 sqq.), ipsi quoque patres ambo exeunte fabula in scaena adsunt. Itaque certo certius est deuteragonistam induisse Nicobulum atque eiusdem filium Mnesilochum, tritagonistam contra Pistoclerum cum eoque Philoxenum patrem suscepisse. Neque habes, cur obicias fortasse Nicobulum, etsi Mnesilochus ad v. 760 demum digressus sit, iam ad v. 770 esse inductum. Nam cum filius (v. 760) meretricum intret domum, pater autem ex ipsius procedat aedibus (v. 770), histrioni, qui utrumque obtinuit, mutandi habitus satis erat temporis, dum Chrysalus tabellarius ille graphicus ad eri ostium adambulans nonnulla secum verba facit. Cleomachi militis personam tritagonistae vindicemus necesse est, protagonistae aptissime parasitus attribuitur. De Pueri parasiti comitis (cf. v. 577 sq.) perinde ac de Lorarii, quem arcessit

Nicobulus partibus (cf. v. 799 sq.), cum muti sint, diiudicare opus non est.

Quae igitur de quattuor [1]) histrionibus in Bacchidibus Plautina, id est in Menandri Δὶς ἐξαπατῶντι, introductis enucleavimus, luculenter cognosces ex hacce tabula:

Protagonista		Deuteragonista		Tritagonista		Quarti loci actor	
35– 108	Bacchis I	35– 108	—	35– 100	Pistoclerus	35– 108	BacchisII ..... 2)
109– 169	—	109– 169	—	109– 169	Pistoclerus	109– 169	Lydus
170– 177	Chyrsalus	170– 177	—	170– 177	—	170– 177	—
178– 234	Chrysalus	178– 234	—	178– 228	Pistoclerus	178– 234	—
235– 367	Chrysalus	235– 348	Nicobulus	235– 367	—	235– 367	—
368– 384	—	368– 384	—	368– 384	—	368– 384	Lydus
385– 404	—	385– 404	Mnesilochus	385– 404	—	385– 404	—
405– 499	—	405– 499	Mnesilochus	405– 499	Philoxenus	405– 499	Lydus
500– 525	—	500– 525	Mnesilochus	500– 525	—	500– 525	—
526– 529	—	526– 529	—	526– 529	Pistoclerus	526– 529	—
530– 572	—	530– 572	Mnesilochus	530– 572	Pistoclerus	530– 572	—
573– 605	Parasitus	573– 611	—	583– 611	Pistoclerus	573– 611	—
612– 639	—	612– 639	Mnesilochus	612– 639	Pistoclerus	612– 639	—
640– 760	Chrysalus	640– 760	Mnesilochus	640– 760	Pistoclerus	640– 760	—
761– 769	Chrysalus	761– 769	—	761– 769	—	761– 769	—
770– 798		770– 794	Nicobulus	770– 798	—	770– 798	—
799– 841	Chrysalus	799– 841	Nicobulus	799– 841	—	799– 841	—
842– 912	Chrysalus	842– 924	Nicobulus	842– 905	Cleomachus	842– 924	—
925– 978	Chrysalus	925– 978	—	925– 978	—	925– 978	—
979–1075	Chrysalus	979–1066	Nicobulus	979–1075	—	979–1075	—
1076–1086	—	1076–1086	—	1076–1086	Philoxenus	1076–1086	—
1087–1119	—	1087–1119	Nicobulus	1103–1119	Philoxenus	1087–1119	—
1120–1206	Bacchis I	1120–1206	Nicobulus	1120–1206	Philoxenus	1120–1206	BacchisII
1207–1211		..... Epilogus					

1) Nihil omnino est, cur cum Friderico Schmidt (l. s. s. p. 24) quinque actores ad hanc fabulam necessarios fuisse ponas. Licet haec fortasse quadrent in Romanorum usum, pro Graecorum autem condicione scaenica quattuor suffecisse, ex iis quae demonstravimus satis superque patere arbitror, ut quin illa quoque cum initio deperdito conveniant congruantque vix dubitari possit.

2) Hic tantum significavi scaenam aliquantisper fuisse vacuam, ne quis offendat in Bacchidis II atque Lydi partibus coniungendis. Conferantur quae supra p. 58 explanavimus. Cetera addere neque opus est neque iuvat, praesertim cum in unoquoque actu finibus suis terminando valde inter se discrepent critici.

Menandrum satis saepe personas easque quae confabulantur quattuor simul introduxisse multo evidentius patet e Terentii fabulis Menandreis, quarum exemplaria Graeca ad unum omnia plus tres exegisse histriones alio loco demonstrabimus. Hic satis habeo comprobasse praestantissimum novae comoediae poetam, quem alia ex parte fabulas composuisse supra vidimus sic institutas, quarum omnes partes ab actoribus non plus tribus possent suscipi, histrionibus in adhibendis certam legem secutum non esse. Neque eum hac diversa ratione ab aliis illius aetatis poetis differre eiusdem Terentii fabulis affirmabitur. Quare iam perspicimus, quonam errore ducatur Graf, qui postquam in Menandri reliquiis scrutandis parum cautus ab illo ternos tantum actores ascitos esse iudicavit haec profert (l. s. s. p. 48): Die Einschränkung (der Schauspielerzahl) bei Menander ist nun anscheinend so zu erklären, dass der Staat in einer Zeit nationalen und wirtschaftlichen Tiefstandes weniger Mittel zur Verfügung stellen konnte, oder aber der Grund ist der, dass die Charakterkomödie Menanders, die dem Euripideischen Drama in vielen Dingen näher steht als der alten Komödie; auch die Schauspielerzahl der Tragödie übernommen hat. Nos quidem histrionum condicione novae comoediae temporum cognita non iam dubitabimus, quid trium actorum numerus sibi velit, in quo compositio atque structura complurium Menandri fabularum posita est. Etenim una hac partium institutione scaenica fieri poterat, ut a trium histrionum gregibus, quorum illa aetate magnam fuisse copiam supra expositum est, darentur fabulae. Quamquam in universum post Aristophanem, qui, ut ipsius fabulae gravissimo sunt testimonio, plus tribus actoribus usus est, histrionum comoediae numerum minime minui solitum esse ea confirmatur memoria, quam de adulta comoedia exhibet Euanthius („de fabula" II 2). Cuius testimonium quantae fidei quantique pretii sit, et Diphili atque Apollodori ars [1]) plane demonstrat et vel hoc loco e Menandri Circumtonsae reliquiis atque Plauti Bacchidum exemplari Graeco certe conicere potuimus.

1) Conferantur Plauti Rudens et Terentii Phormio.

Libri conspectus.

De Terentianis fabulis quaestio instituetur in Museo Rhenano.

Vita.

Fridericus Keusen, Gerardi filius, matre e gente Giesen, fidei catholicae natus sum Ruhrort q. d. in oppido a. d. XIV Kal. Nov. anni MDCCCXCII. Patrio in oppido primis litterarum elementis imbutus puer duodecim annorum gymnasii Duisburgensis discipulus factus sum magistro usus imprimis Ludovico Martens nunc Berolinensi, qui directoris vicibus fungebatur. Cuius doctrinae quid debeam, haud ignoro. Quinque ibi versatus annos Kempenam ad perficienda gymnasii studia transmigravi. Anno huius saeculi XII maturitatis testimonium adeptus studiis philologis ut operam navarem Bonnam profectus sum. Simul ut artem musicam excolerem cum alios tum Fridericum Steinbach † atque Maximilianum van de Sandt iis temporibus Coloniae docentes adibam.

Hac in litterarum sede per sex fere annos philologiae atque archaeologiae fui studiosus. Examen pro facultate docendi absolvi a. d. X Kal. Quint., examen rigorosum a. d. IX Kal. Sext. anni MCMXVIII.

Docuerunt me viri clarissimi Becker nunc Berolinensis, de Bezold, Brinkmann, Cichorius, Clemen uterque, Dyroff, Elter, Enders, Gaufinez, Goetz, Külpe †, Levison, Marx, Meinhold, Meyer-Lübke, Philippson, Schiedermair, Schulte, Störring, Thurneysen, Wentscher, Wiedemann, Wilcken nunc Berolinensis, Winter, Wolff.

Sodalibus ordinariis seminarii philologici ascripserunt me benigne Brinkmann Elter Marx. Exercitationibus philologicis suis frui ut possem comiter permiserunt Brinkmann Elter Marx Thurneysen, ut metricis Marx, ut archaeologicis Winter, ut historicis de Bezold Cichorius Levison Wilcken, ut musicis Schiedermair et Wolff.

Quibus viris summo opere de me meritis cum omnibus tum Friderico Marx, cuius consilio atque auxilio in componenda hac dissertatione semper uti mihi licuit, gratiam semper habebo quam maximam.